

ENCUADERNACIONES

**M. AGUILAR**

Armando Palacio Valdés, 4  
Tel. 362 23 81 46003-Valencia





R.00001533285

F.A.051

CONCIONES SIVE  
ORATIONES EX GRÆ-  
cis Latinisque historicis excerptæ.

Quæ ex Græcis excerptæ sunt, interpretationem Latinam adiunctam habent, nonnullæ nouam, aliæ iam antea vulgatam, sed nûc demum plerisque in locis recognitam.

*Argumenta singulis præfixa sunt, lectori adiumento magno futura.*

ADDITVS EST INDEX ARTI-  
ficiosissimus & vtilissimus, quo in rhetorica causarum genera, velut in communes locos, singulæ conciones rediguntur.



ANNO M. D. LXX,  
Excudebat Henricus Stephanus.

*Althor Samrahu sed  
Superuivem*

025446




COMMISSION  
OF THE  
GENERAL INVESTIGATION

of the  
of the  
of the

of the  
of the

ADDITIONAL  
of the  
of the



ANNO M. D. LXX

Excelsior: Henricus Stephanus

Regis Galliarum apud Heluetios legato,

HENR. STEPHANVS S. D.



VVM ego Titi Liuii conciones, ex omnibus, qui quidem ad tempora nostra peruenerunt, eius libris excerptas, & seorsum editas, nonnullis etiam viris quorum iudiciū maximi (vt par erat) faciebā, summopere placere comperissem: magnam me ab iis aliisque quam plurimis gratiam initurum speraui, si, quod in vno vnus linguæ historico alii præstitissent, ipse in multis & penè vniuersis qui extāt vtriusque linguæ historicis præstare. Ea spe ductus huic operi manū primam ante aliquot menses, nuperrimè extremam imposui. Quum autē tot tantosque viros, & in iis quosdā etiam reges, & quorundā legatos, quos hīc eloquentissimè cōcionantes audimus, primo saltem aduentu ab eo excipi cuperē, qui ipsos quo merentur studio ac fauore prosequeretur: statim de iis ad te mittendis, vir clarissime, cogitare cœpi. Quem enim viros dicendi virtute præstantes passis vlnis potius amplexaturū credibile est, quàm illū quem eiusdem nō admiratorem solū, sed summū etiam cultorem esse, compertum habemus: Omitto interim, fore, vt præterquam quòd eloquentes homines eloquens ipse, etiam legatos regum potentissimorum plerosque, ipse potentissimi regis legatus excipias. Non deerāt alioqui quamplurimi ad quos mittere illos possem: sed ad eos venissent profectò quos nec illius studii nec illius dignitatis focios itidem habituri erant. Quid? ex his concionibus disci posse eloquentiā existimas? dixerit forsitan aliquis. Ego verò non solū posse, sed etiam debere hinc disci contēdo: eam quidē certè potissimum quæ non circa subsellia, sed circa castra potius & prætoria, atque adeo circa regias ipsas versatura est: minimèque vmbra futura, sed in mediū agmen, in puluerē, in clamorē, in castra, & in aciem, nō forēsem illam, sed Martiam, proditura: quæ denique equestris potius (liceat enim mihi ita loqui) quàm pedestris futura est. Neque tamen hæc à me ita dicuntur quasi hinc & rhetoricas illas præceptorū minutias colligendas censeā ab iis qui ad res magnas gerēdas accedunt: sed ex frequenti & attēta harū concionū siue orationū lectione, cui exercitatio cōiuncta sit, fieri posse existimo vt quendā velut habitū eloquentiæ hauriant, multaque, tanquā aliud agēdo, in memoriā recōdāt, quæ ex ea suo loco & tēpore, tāquā extēporanea depromāt. Eodē sanè modo eos qui prōpto ac felici ad poeticā sunt ingenio, hoc cōsequi, poetas veteres terēdo, videmus, vt eo ipso momēto quo in scribēdo carmine aliquo laborāt, multa ex illorū poematis profecta subsidia memoria suppeditet, quæ alioqui illis excidisse videri possēt. Sed ne in me, de his apud te differentē, iactari meritò possit priscū illud prouerbiū, Sus Mineruā, aliò sermonē

\* ii.



025446

conuertam, & quaestionem te iudice dignam, vel potius nodum te vindice dignum (vt Horatiano verbo vtar) in mediū afferam. Quum enim inter omnes historicos qui conciones libris suis inferuerunt, primas Thucydidi cum ab aliis multum vel maximè à M. Tullio tribui videamus, Dionysium Halicarnasensem longè secus de concionibus illis sentire, comperi olim Venetiis, quum in meas manus quidam eius de historia Thucydidis iudicium ferens libellus venisset. Quis autem hîc non hæreat: quum nec sua illa eloquentiæ Thucydides, & cum eo Tullius sua acerrimi iudicii laude, nec sua vicissim Dionysius, (quã in ferendo de scriptoribus iudicio summã omnium consensu adeptus est) sine piaculo spoliari posse videatur? Verùm ne te diutius morer quàm tot tantæque tuæ occupationes ferre possunt, vnã Thucydidis concionem proferam, quam præ cæteris exagitat Dionysius, & quam cōtrà ipsi Ciceroni, siquã aliam, placuisse credibile est. Plutarcho certè, auctori grauissimo, summopere probatã fuisse, ex eius verbis certò nobis constat: quem ideo cum Dionysio Halicarnasense, tanquam par nobile gladiatorum, committam. Est igitur concio de qua nunc agitur, ea quam Thucydides libro suæ historiæ secundo Pericli tribuit, cuius initium est, *Καὶ προσδεχόμενοι τὰ τῆς ὀργῆς ὑμῶν ἐς μετρημένα, &c.* Habita autem à Pericle fuit vt inuidiã à se amoliretur, qua apud populum laborabat, tanquam qui belli calamitosum ac miserabilem exitum habentis autor extitisset. Ita igitur orditur ille, Quòd mihi indignamini, id nequaquam (quum satis querelas vestras intelligam) præter expectationem mihi accidit. Ac certè concionem ideo aduocaui vt vos commonefaciam, simúlq; vobiscum exoptulem, siquid abs re vel succensetis, vel calamitatibus succumbitis. &c. Huiusmodi verbis (si Dionysio credimus) Periclem apud populum sibi infensum, & cui purgare se conabatur, minimè vti decebat: præsertim in ipso suæ orationis exordio, antequam eorum animos aliis sermonibus mitigasset. Cogitare enim illum oportuerat, iustam habere Athenienses mœroris causam, quum bonam sui agri partem à Lacedæmoniis vastatam, maximumque suorum numerum pestilentia consumptum esse viderent: quæ mala illi, vtpote belli suscipiendi auctori, imputabant. Ideoque vti ea oratione debebat qua odium deprecaretur, iracundiãque leniret, non autem quæ, illos reprehédendo, eam exacerbaret atque auget. Non enim concitare iram multitudinis, sed concitatam reprimere ac sedare, oratoris esse munus. Illis subiungit Pericles, Existimo enim cum vnoquoque ciuiū priuatim melius agi in prospero totius reip. statu, quàm quum hæc suos quidem habet secunda fortuna vtentes, sed summa rerum labefactatur atque euertitur. Cui enim res prosperè cedunt, is, pereunte patria, nihilominus vnà cum ea interit: at cui aduersa fortuna est, quum patriæ in qua versatur, sit secunda, is



multo magis saluus atque incolumis permanet. &c. Hæc Pericles: ne hîc quidem (si Dionysio fidem habemus) cōsentanea loco & tempore loquens. Si enim (inquit) nonnulli priuatim ciues malis conflictati fuissent, ipsa interim Rep. feliciter & ex sententia res gerente, meritò ita loquutus fuisset: at quâ calamitates illæ, publicæ etiam essent, quorsum hæc ab eo dicebantur? Quibus pauca subiungens, ad illam ipsam orationis partem transit, quam quum Plutarchus laudibus efferat, ipse contrâ summa reprehensione dignam existimat. Est autem hæc, Ego tamen, cui succensetis, is sum qui neque in perspiciendo quid opus sit factò, & in eo exponendo, neque item in amanda patria & aspernanda pecunia cedere cuiquam velim. Audiuius Periclem: audiamus & de his eius verbis Dionysii iudicium. Mirum certè fuerit (inquit ille) Periclem, omnium illius seculi oratorum præstantissimum, ignorasse quod vel mediocri ingenio præditis perspectum est, orationē eorum qui in se laudandis modum non tenent, auditoribus esse molestissimā. idque, in iis præsertim cōcionibus quæ vel in iudiciis vel ad populum habentur, in quibus nō de præmiis sed de pœnis agitur. Tunc enim non aures offendunt duntaxat, sed multitudinis inuidiam in se cōcitando, maius etiam periculum sibi accersunt. Omitto quæ his ille subiungit, & ad Plutarchum venio, qui de hoc loco sententiam Dionysianæ illi fert planè contrariā: atque ad eò tantum laudibus ipsum extollit, quantum hic vituperatione sua & reprehensione deprimat. Siquidem in libro quo docet quomodo quis citra inuidiam seipsum laudare possit, hæc inter alia circa initiū scribit, Seipsum autem laudare sine reprehensione licet, primùm quidem si ad calumniam aut accusationē respondens id facias: vt Pericles, Ego tamen cui succensetis, is sum qui neque in perspiciendo quid opus sit factò, & in eo exponendo, neque item in amanda patria & aspernanda pecunia, cedere cuiquā velim. Nec enim solum periculum illi non fuit ne iactator & inanis gloriæ cupidus aut etiam ambitiosus existimaretur, vñ tam magnificè de se loquebatur, sed etiam celsi animi ac magnæ virtutis documentū dedit, quæ eo ipso quòd non demittitur ac deiicitur, inuidiā deiicit & in potestatem redigit. Nam de huiusmodi viris haud iam sibi ferendā esse sententiam putant, sed animis eriguntur, & exultabundi, pariter cū iis qui ita gloriātur, quodam velut afflatu corripit solent: si quidem vera & ab omni dubitatione remota sit illa gloriatio. Atque ita se rem habere, euentus ipsi testantur. Thebani enim, quum accusarentur imperatores quòd elapso imperii sui tempore, nō statim rediissent, sed Laconicum agrum inuasissent, & rebus apud Messenam gestis præfuisent, Pelopidam quidem, qui animū demittebat & ad preces descendebat, vix absoluerunt: at quum Epaminondas sermonem de rebus ibi gestis habuisset, in quo magnificis utebatur verbis, tandè que eò deuenisset vt diceret para-

tum se mortem subire si Laconicam se vastasse, & rebus apud Messenam gestis præfuisse, necnon Arcadiæ vires inter se consociasse, ipsis inuitis, faterentur: ne sumere quidē calculos ad ferendam de eo sententiam sustinuerunt, sed admiratione illum prosequentes, gaudentesque ac ridentes discesserunt. Hactenus Plutarchus.

Ecce tibi, vir clarissime, duorum iudicum, & eorum quidem summo iudicio præditorum, contrarias inter se sententias: superest ut te, (cuius ut incredibilem ingenii sagacitatem, ita iudicii subtilitatem non ego solus sed alii quamplurimi mecum cognitam perspectamque habent) iudicem illorum iudicum, vel certè vnius quidem, *κρίτοδ*, alterius autem, *κρίτου* & etiã, te, inquam, *κρίτου* siue *δικαστήν* cõstituas. Hæc certè tantorum virorum tam contraria inter se iudicia in memoriam mihi reuocant quæ nuper scripsi in præfatione quam præfixi volumini epigrammatum partim meorum, partim è Græco sermone in Latinum cõmutatorum. In ea enim differēs de acutis epigrammatibus, & nonnulla laudem hanc apud aliquos mereri dicens, quæ contra frigida potius ab aliis censeantur, in exemplum attuli dictum quoddam, quod quum Cicero summopere laudet & admiretur, tãquam ingeniosè excogitatum, Plutarchus contra ut frigidissimum explodit atque exhibat. Quod verò illud sit, indicarem, nisi illum ipsum librum vnà cum hoc ad te mittere statuissem. Vale, & me amare perge.

HENR. STEPH. LECTORI S. D.

*HABES à me lector opus, optatissimum (ut spero) iis omnibus futurum qui flexanima illius deæ Suadæ sacra vel iam colunt, vel colere statuerunt. Optatissimum certè multis de causis esse iis debere, ostendet quæ huic subiungetur epistola. Meum autem esse arbitror, quæ in eo & quorum opera præstiterim, sigillatim exponere. Quod igitur ad Græcas conciones attinet, (nam de iis priore loco dicendum est) omnibus suam Latinam interpretationem, sed nonnullis nouam, aliis iam vulgatam adiunxi: non tam quòd hæc in earum plerisque mihi satisfaceret, quàm quòd ad scribendam nouam non satis otii superpeteret. In quibusdam concionibus, ac præsertim in iis quæ ex Polybio & Arriano excerptæ sunt, contextum Græcum plerisque in locis emendatum dedi, ut ipse ex huius editionis cum præcedentibus collatione statim deprehendes: sic tamen emendatum, ut menda aliis veteris codicis auxilium implorantia, quædã etiam quibus vel sola cõiectura auxiliari potest, superesse non inficiet. Ad Latinas verò conciones quòd attinet, præsertimque Liuianas, ubi diuersæ lectiones se obtulerunt, melior, vel optima (quantum quidem extemporali iudicio valere potuimus) in contextum recepta fuit. Argumenta utraque (id est utriusque linguæ) conciones habent à doctissimo viro, & cum aliarum bonarum artium, tum verò rhetorices peritissimo, Iobo Veratio, cõscripta. Salustianas & Liuianas excipio. his enim ea quæ iam antea fuerant edita, præfixa fuerunt: illis autè ea quæ præfixi, ex ipsiusmet scriptoris verbis paulo altius repetitis, velut contexta fuerunt. Cæterum quum consilium nostrum esset directas tantum (ut vulgò appellant) conciones, non item obliquas (quales sunt Cæsarianæ) in hoc opus admittere, nonnullæ tamen directæ conciones ab obliqua sermonis forma seu structura initium haberent, hoc diuerso typorum genere excusum fuit. Habes autem præterea in fronte operis indicem, in quo hæc utriusque linguæ conciones, velut in communes locos distributæ, in promptu cuiuslibet &*

velut ad manum esse poterunt: dummodo cuius generis concionem in hunc vel illum vsum legere debeat, iudicare possit. Vnum est quod tibi mirum videbitur fortasse, conciones non ex omnibus Græcis, sicut & Latinis, historicis ( qui quidem directas scripserunt ) excerptas à me fuisse. Verùm ut de cæteris taceam quorum conciones omisi, si multas longissimas orationes quæ apud Dionem extant, his adiunxissem, hæc omnia *ἡ πόλις μὲν Μύκωνος* me posuisse, multo iustius, meo quidem iudicio, miratus fuisses. Vale.

## I O B V S V E R A T I V S S T V.

diolo lectori S.



Irificè me, studiose lector, Homericus ille versiculus delectat, *Μύθων μὲν ῥητῆρ' ἔμμεναι ὀφεικτῆρα τε ἔργων*: credo item omnes, qui quæ vis subit iis verbis, perpendunt. Dicendi enim facultatem cum agendi solertia coniungit, & vtroque viros amplissimos instruit: quòd nec industria sola, ea maximè quæ in publicis rebus gerendis versatur, dicendi vsu spoliata, satis munus suum tueri possit: facundia verò quæ sese à rerum administratione remouerit, importuna loquacitas iudicetur. Licet enim præstet stultitiæ loquaci elinguis prudentia, tamen prudentia dicendi imperita, magno ornamento vel subsidio potius est destituta. Has dotes grauissimi autores, & qui historias scripserunt, in hominibus clarissimis expresserunt, & qui fictarum narrationum inuolucris viros ab omni laude perfectos informarunt, illis ipsis affinxerunt. Hoc enim volunt illæ Periclis & Niciæ in re vera conciones, hoc Cyri Xenophontici in ficta. Iidem illi qui præter cæteros breuiloquentes sunt habiti, & qui eloquentiam satis fastidiosè contempserunt Lacedæmonii, tamen ne hac quidem laude carere voluerunt, quòd quanto esset ad res magnas gerendas adiumento intelligebant. Ergo *Παῦσα ἰδρὶ, ἀλλὰ μάλα λιγέως ἐπὶ τοῦ πολέμου* Menelaus. Paulo vberior Thucydideus Archidamus, aliique eiusdem ciuitatis: vt qua in vrbe humaniores literæ propè iacebant, in ea tamen suum eloquentiæ esse habitum honorem constet. Itaque poeta quum summum virum & regendæ multitudinis peritissimum describeret, vtriusque rei laudem ei attribuit, rerum gestarum gloriam, & dicendi peritiam, Tum pietate grauem & meritis, &c. Ille regit dictis animos, & temperat iras. Hæc eadem sibi assumit apud Thucydidem Pericles, *ὅς ἰδενός ἦσαν οἴομαι εἶναι γὰρ αἰεὶ τε δέοντα καὶ ἐρμηθεύσαι τῶντα*. Etenim vt impudentis est de iis quæ nesciat verba temere fundere, ita turpe est, quæ scias, ea planè & aptè explicare non posse. Nam illud quidem explosum pridem est, quod contrà afferri solet, in eo quenque quod norit, satis esse eloquentem. Quid enim ad commodè dicendum exercitatio dicendi conducit, vsus ipse iam pridem cõprobauit. Sine præceptionibus autem aut nihil aut parum posse exercitationem, omnes intelligunt. Ac cognoscendi quidem ars est multiplex, dicendi verò vna. Res enim ipsæ quæ disertæ orationi sunt substratæ, vel militares ferè sunt, vel ciuiles. Ac ciuiles quidem vel è disciplina constituendarum & regendarum ciuitarũ petendæ sunt, vel ex iuris dicundi scientia, quæ & ipsa pars est regendæ ciuitatis: dicendi verò præcepta à rhetoribus traduntur. Verùm si à nudis præceptis ad rerum ipsarum vsum nos referamus, hæc, quæ dixi, omnia in historia esse reposita videbimus. Sed eam historiam accipio quæ est orationibus aspersa, directis potissimùm. Nam & consilia, causæ, euentus, res gestæ ( quæ omnia historicus studiosè persequitur ) ad rerum administrationem pertinent: orationes verò ad dicendi facultatem referuntur. Sed si præclara quædam res est posse mente & consilio providere, non minoris profectò est ingenii & industriæ rectè prouisa & consulta rectè explicare: vt in vtrunque summopere eos incumbere oporteat qui ad res magnas gerendas accedunt. Eæ enim ferè in hominum societate versantur, vbi quum accessit ad prudentiam autoritas, & dicendi vis, non est dubium quin is qui illis est præditus, plurimum faciendo dicendoque consequatur. Id consilii habuerunt historici, quum suorum sapientiam in rebus prouidendis & gerendis descripserant, eorundem facundiam in illis communicandis expresserunt. Non quò omnes de quibus aliquid commemorant, vtranque virtutem

adæquarint, sed quia quantum disertæ prudentia posset, vel homines ab omni humanitatis cultu alieni intellexerunt. Nam & domi & militiæ principes in suis ciuitatibus viri sæpe suis dicendo maximas vtilitates attulerunt. Etenim Deus, qui hominum genus, ad ecclesiam suam colligendam, incolume esse vellet, eos homines excitauit, qui grauiſſimis temporibus suis ciuitatibus sæpe salutē pepererūt. Per hos esse sedatos maximos motus, concitados ad salutem recuperandam homines desperatione perculſos, defensam æquitatem in senatu, in concione populi, in iudiciis conatus improborū repressos, leges pestiferas abrogatas, vtilis verò confirmatas & constitutas videmus. Nā quòd eadem hæc sapientiæ instrumenta nefarii homines ad perniciem vel ciuitatum vel singulorum hominum sæpe conuerterunt, vitium hominum fuisse intelligimus, non rerum: & nos quæ dicimus, de sapientiâ disertâ, nō de inani garrulitate dicimus. Itaque quis dubitet quin hoc tempore nostris rebus pub. eadem illæ animi dotes decus & præſidium afferre possint, maximè verò liberis? Neque enim hoc loco de causidicis & litigiosis dicimus, quorum ars, si qua est, aliis præceptis est munienda: sed de ciuitatū moderatoribus. His rerum cognoscendarum atque dicendarum copiâ historia, coniunctis orationibus, potest suppeditare. Quo magis miror, adeo negligenter eas artes à nostris hominibus coli. Nam licet aliud sit sæpe reip. genus, alii mores & disciplina ciuitatis: tamen multa sunt quæ in senatu aut in concione populi consimiliter agitanda sint: seu leges ferendæ sint, seu referendum sit de pace, de societate, de vectigalibus, de cōtrouersis, seu legationes mittendæ vel obeundæ sint. Quæ si quis aliquando suscepit, qui dicendi esset imperitus, is quātum sit in infantiâ ad publicas res bene administrandas impedimenti, grauiſſimus testis esse potest. Neque verò intelligo quam obrem minus hæc iis quoque quibus sacræ cōciones habendæ sunt, subsidio non sint. Illarū autē rerum omnium varietatem & copiam suppeditant historicorum orationes, seu cōciones sint (id est *δημοσφειαι*) seu aliæ. Siquidē & res habēt, quæ in ciuilem administrationē cadunt, omne genus, & ipsam dicendi vim summa varietate conditam continent. De rerum varietate nihil me attinet dicere. Dicendi verò vis est generibus quidem comprehensa, sed tamen gradibus & dissimilitudine infinita. in aliis breuitatem videas, in aliis copiam: in aliis vim, in aliis suauitatem: in aliis denique acumē. dicunt alii præſe, alii de re eadem vberius: alii ornate, rursus alii tenuius. dicunt alii leniter, rursus alii sæpe de eadem re asperius: vt res penè nulla sit, studiose lector, quin si dicendo tibi explicanda sit, eius formulā ex his orationibus possis depromere. Quòd si nos magnæ artes delectāt, quum in rebus paruis explicatæ, tamē in iis notari possunt, (vt quū in minutis horologiis ars illa tota compāret) nō est dubium quin nos conciunculæ ipsæ capere debeant, quæ artem copiosam in breuiſſimis orationibus exprimunt. Ac si est oratoris periti, & qui hoc oratoris nomine dignus est, posse facultatem dicendi ad rerū naturam accommodare, varièque temperare, tum dilatare res angustas, tum ampliores contrahere: non parum habere artis & vtilitatis has orationes intelligimus, in quibus hæc omnis varietas animaduertitur. Itaque vt orationum copiose dictarum habemus exempla vel apud Demosthenem, vel apud Ciceronem, ita huius artificii breuiter cōprehensi nobis exempla ex his orationibus petēda sunt, quas Stephanus noster è laudatissimis historicis decerptas in corpus vnum rededit. Et nequid te legentem moraretur, & vt vnde res ipsa, de qua dicitur, profecta esset intelligeres, argumenta præfigēda curauit. Ex igitur quantopere & ad antiquitatis cognitionem & ad dicendi facultatem conducant, postquam accuratè legeris, melius, vt spero, æstimabis. Vale.

INDEX CAPITVM AD QVAE CAU-  
 farum genera reuocantur.

		{ Suasio, Dissuasio.
		{ Exhortatio, Dehortatio.
		{ Monitio.
		{ Petitio.
} Deliberatiuum, } quò referuntur,		{ Precatio.
		{ Conciliatio.
		{ Denuntiatio.
		{ Consolatio.
		{ Commendatio.
		{ Excusatio.
		{ Concitatio, Mitigatio.
		{ Expostulatio, siue Querimonia.
} Genus causæ, } Iudiciale, cui } subiiciuntur,		{ Inuectiua.
		{ Exprobratio.
		{ Obiurgatio.
		{ Purgatio.
		{ Comminatio.
		{ Deprecatio.
		{ Laudatio, Vituperatio.
		{ Gratiarum actio.
} Demōstratiuū, } seu exornatiuū, } ad quod perti- } nent,		{ Expositio historica.
		{ Gratulatio.
		{ Lamentatio.
		{ Commemoratio beneficiorum.
		{ Commendatio.

In sua autem genera digestas orationes quæ hoc volumine comprehen-  
 duntur, habes in sequenti indice.

ORATIONES HOC VOLUMINE  
ne comprehensæ in sua genera digestæ.

Ad deliberatiuum genus pertinentes  
orationes.

A

Adhortatio, vide paulo post.

Admonitio & denuntiatio imminentis periculi, in or. *Hermocratis*, ex *Thuc.* p. 121. Et in or. *Cligenis*, ex *Xenoph.* p. 232. Vide Commonitio.

Approbatio consilii, in or. *Xerxis*, ex *Herodoto*, p. 35

Adhortatio siue Cohortatio ad libertatē recuperādā, in or. *Cat.* ex *Sal.* p. 1. Et *Lepidi*, p. 11. Adhortatio ad retinēdā libertatē populi, in or. *Marci*, ex *Salust.* p. 14. Adhortatio ad libertatis defensionem, in or. *Periclis*, ex *Thuc.* p. 76. Et *Auli Virginii*, ex *Liui.* p. 25.

Adhortatio ad libertatem vindicandā, in or. *Clementis Centurionis*, ex *Corn. T.* pag. 158

Adhortatio ad vindicandam rempublicam, in or. *C. Cottæ Consulis*, ex *Salust.* p. 14.

Adhortatio ad remp. recuperandam, in or. *L. Martii*, ex *Liui.* p. 77. Adhortatio ad res recuperandas, in or. *Teutiapli Elei*, ex *Thuc.* p. 86

Adhortatio ad remp. strenuè defendendam, in or. *Marii*, ex *Salustio*, pag. 9.

Adhortatio ad repetendam patriam, in or. *Xenophontis*, ex *Xenophonte*, p. 198.

Adhortatio ad regnum recuperandum, in or. *Cambysis*, ex *Herodoto*, pag. 5.

Adhortatio ad imperium recuperandum, in orat. *Maximini*, ex *Iulii Capitolini Maximini duobus*, p. 185.

Adhortatio ad imperium retinendum, in orat. *Maximini*, ex *Iulii Capitolini Gord. tribus*, p. 186.

Adhortatio ad hostē vlciscendū, in or. *Lamponis*, ex *Herodoto*, p. 46

Adhortatio ad bellum suscipiendum, in or. *Aëtii Tullii*, ex *Liui.* p. 24. Et *T. Q. Capitolini*, ex eodē, p. 30. Et *Camilli exulis*, ex eodem, p. 38.

Adhortatio ad bellum suscipiendum & persequendas iniurias, in or. *Seueri*, ex *Herodiano*, p. 282.

Adhortatio ad arma capienda, in or. *M. Manlii Capitolini*, ex *Liui.* p. 42.

Adhortatio ad arma capienda pro salute patriæ, in or. *P. Valerii Publicolæ*, ex *Liui.* p. 26.

Adhortatio ad suscipiendas suas in bello gerendo partes, in or. *Persarum*, ex *Herodoto*, p. 18.

Adhortatio ad societatem belli ineundam, in or. *Alexandri*, ex *Herodoto*, p. 38. Et in or. *legatorum Scytharum*, p. 11. Et *legatorum Græciæ*, p. 31

Adhortatio ad strenuè & fortiter pugnandum, in orat. *Xerxis*, ex *Herodoto*, pag. 28.

Item *Archidami*, ex *Thucydide*, p. 70. Et *Lacedæmoniorum ducum*, p. 81. Et *Phormionis*, p. 82. Et *Demosthenis*, pag. 101. Et *Hippocratis*, pag. 109. Et *Brasidæ*, pag. 112. Et *Nicia*, pag. 125 & 135. Et *Gylippi*, ac cæterorum belli ducum, pag. 137. Item *Cyri*, ex *Xenophonte*, pag. 137, & 140, & 143, & 144, & 168. Et *Xenophontis*, pag. 207.

Item *Titi Quintii*, ex *Polybio*, pag. 265. Item *Alexandri Mammææ*, ex *Herodiano*, p. 285. Item *Catilinæ*, ex *Salustio*, p. 1. Item *Valerii*, ex *Liui.* pag. 30. Et *Horatii*, p. 30. Et *Vectii Messii*, p. 33. Et *A. Cornelii Cossi*, p. 41. Et *M. Popilii*, p. 46. Et *M. Valerii Coruini*, p. 48. Et *P. Scipionis*, p. 63, & 81. Et *Annibalis*, p. 64. Et *M. Porcii Catonis*, p. 103. Et *Agricolæ*, ex *Corn. Tacito*, p. 158. Et *Darii*, ex *Q. Curtio*, p. 161.

Adhortatio ad ignauitiam incitandā, in or. *Alexandri*, ex *Q. Curt.* p. 175.

Adhortatio ad fortiter dimicandū pro patriæ libertate, in or. *Thrasylbuli*, ex *Xen.* p. 225.

Adhortatio ad fortitudinē & prudentiā, in or. *Cyri*, ex *Xen.* p. 150.

Adhortatio ad rē bene gerendam oblata occasione insperata, in or. *Cyri*, ex *Xen.* p. 169.

Adhortatio à rerū opportunitate, in or. *Cyri*, ex *Xen.* p. 142.

Adhortatio ad alacriter pugnandū in rebus suis secundis, in or. *Annibalis*, ex *Polyb.* p. 250.

Adhortatio ad strenuè dimicandū in rebus suis miseris, in or. *AEmilii*, ex *Polyb.* p. 249.

Adhortatio aduersus rerū desperationē, in or. *Nicia*, ex *Thuc.* p. 138. Et *Darii*, ex *Q. Curt.* p. 163.

Adhortatio ad cōfirmādos seu erigēdos militū animos, in or. *Brasidæ*, ex *Thuc.* p. 111. Et *Cyri*, ex *Xen.* p. 184. Et *M. Furii Camilli*, ex *Liui.* p. 41. Et *P. Scipionis*, p. 80. Et *Attilii*, p. 108. Et *Cn. Manlii*, p. 113.

Adhortatio ad prævertendum periculum, in or. *L. Pinarii*, ex *Liui.* p. 75.

Adhortatio in præsentī periculo, in or. *P. Decii*, ex *Liui.* pag. 49

- Adhortatio ad pacem, *in orat. Hermocratis, ex Thucyd. pag. 104. Et Syllæ, ex Salustio, pag. 10. Et M. Valerii Coruini, ex Liuiio,* p. 50
- Adhortatio ad creandum imperatorem, *in or. Severi, ex Herodiano,* p. 280
- Adhortatio ad tyrannū opprimendū, & regnū vindicandū, *in or. Darii, ex Herodot. p. 6*
- Adhortatio ad vindictam, & hostē persequendū, *in or. Maximini, ex Herodiano, p. 286*
- Adhortatio ad pœnas sceleris persequendas, *in or. Germanici, ex Corn. Tacito,* p. 143
- Adhortatio ad focios liberandos, *in orat. Xenophontis, ex Xenophonte,* p. 205
- Adhortatio ad causâ communis defensionem, *in orat. Callicratidæ, ex Xen. pag. 217*
- Adhortatio & denuntiatio, *in orat. Annibalis, ex Liuiio,* p. 63
- Adhortatio & denuntiatio deditiois faciendæ, *in orat. Brasidæ, ex Thucyd. p. 106*
- Adhortatio ad leges perferendas, *in or. C. Canuleii, ex Liuiio,* p. 32
- Adhortatio ad gratiam reconciliandam, *in or. Q. Cæcilij Metelli, ex Liuiio,* p. 125
- Adhortatio ad liberalitatem & benevolentiam commilitonibus impertiendam, *in or. Cyri, ex Xenoph. pag. 151*
- Adhortatio ad promissa præstanda, *in or. Xenophontis, ex Xenoph. p. 214. Adhortatio ad fidem conseruandam, in or. Cyri, ex Xenoph. p. 158. Et Dercyllidæ, ex eod. p. 231*
- Adhortatio ad æquitatem conseruandam, *in or. C. Memmit, ex Salustio,* p. 17
- Adhortatio ad concordiam, *in or. Micipsæ regis, ex Salustio, p. 5. Item legatorum Valerii & Horatii, ex Liuiio, p. 28. Et legatorū ad plebē, ex eod. p. 29. Et in or. Maximi, ex Herod. p. 287. Adhortatio ad pacandâ remp. in or. seniorum patrū, ex Liuiio, p. 28*
- Adhortatio ad syncerè accusandum, *in or. Tiberii, ex Corn. Tacito,* p. 143
- Adhortatio ad miliuæ perseuerantiam, *in or. Alexandri, ex Q. Curtio,* p. 164
- Adhortatio ad eruptionem, *in or. Q. Fabii, ex Liuiio,* p. 58
- Adhortatio à proposito periculo, *in or. regis Assyriorum, ex Xenoph. p. 146*
- Adhortatio ad audacissimum facinus, *in orat. Alexandri, ex Q. Curtio, p. 172. Adhortatio ad audax & necessarium facinus, in orat. Xenophontis, ex Xenoph. p. 206*
- Adhortatio & commonitio officii, *in orat. Cyri, ex Xenoph. p. 145*
- Adhortatio paterna, *in or. Cyri, ex Xen. p. 178. Et Valentiniani, ex Amm. Marcell. p. 194*
- C
- Commendatio, *in or. Tiberii, ex Corn. Tacito,* p. 144
- Commendatio & monitio, *in or. Othonis, ex Corn. Tacito,* p. 151
- Commendatio & petitio honoris, *in or. Valentiniani, ex Amm. Marcell. p. 194*
- Commendatio imperatoris, ad promerendam suffragationem, mixta suasionem, *in or. Lati, ex Herodiano,* p. 277
- Commendatio imperii, *in or. Marci Antonini, ex Herodiano,* p. 275
- Commonitio ad fidem religiose colendam, *in or. Leutychildis, ex Herodoto,* p. 19
- Commonitio officii, *in or. Cyri, ex Xenoph. p. 139*
- Communicatio consilii in audaci facinore, *in or. Perolle, ex Liuiio,* p. 72
- Concessio rei flagitata, *in or. Appij, ex Liuiio,* p. 29
- Conciliatio ad focios sibi asciscendos, *in or. Cyri, ex Xenoph. p. 157*
- Conciliatio amici, *in or. P. Scipionis, ex Liuiio,* p. 81
- Conciliatio auersorum animorum, *in or. Valentiniani, ex Amm. Marcellino,* p. 193
- Conciliatio benevolentia mixta cohortatione, *in or. Commodi, ex Herodiano,* p. 276
- Conciliatio & commendatio salutis, *in or. Pisonis, ex Corn. Tacito,* p. 159
- Conciliatio, & consultatio capeffendi imperii, *in or. Nigri, ex Herodiano,* p. 279
- Conciliatio multitudinis, *in or. Macrini, ex AElia Lampridii Diadumeno,* p. 182
- Concitatio seditiosorum, *in or. Meleagri, ex Q. Curtio,* p. 180
- Consilium de clementia adhibenda, *in or. M. Duillii, ex Liuiio,* p. 29
- Consilium de pœna ignauia, *in or. T. Gracchi, ex Liuiio,* p. 75
- Consilium de tuto itinere, *in or. Hecatonymi, ex Xenoph. p. 197*
- Consilium in re desperata, *in or. P. Decii, ex Liuiio,* p. 49
- Consolatio, *in or. Iuliani, ex Amm. Marcell. pag. 191. Consolatio, & cohortatio, ad militum animos confirmandos, in orat. Cyri, ex Xenophonte, p. 163. Consolatio,*

- & cohortatio in rebus afflictis, *in orat. Xenophontis, ex Xenoph pag. 189, & 190, & 191.*  
 Consultatio de bello suscipiendo, *in orat. Xerxis, ex Herodoto, pag 21 & 26. Et Alexandri, ex Q. Curtio, pag. 170. Et Claudii Pontii, ex Liuvio, pagina 54.* Consultatio de belli apparatu, *in or. Nicia, ex Thucyd. pag. 119. Et in orat. Charidemi, ex Q. Curtio, pag. 160.* Consultatio de ratione belli gerendi, *in orat. Scythæ cuiusdam, ex Herodoto, pag. 10. Et Demarati, ex eodem. p. 33. Et legatorum Theſſalorum, ex eodem, p. 33. Et Alexandri, ex Arriano, pag. 266. Et T. Quintii, ex Liuvio, pag. 103 & 105.* Consultatio de ratione belli gerendi, iuncta cohortationi, *in or. Alexandri, ex Arriano, pag. 267.* Consultatio de belli partibus distribuendis, *in or. Patroclis, ex Xenophonte, pag. 243.* Consultatio de belli gerendi loco eligendo, *in orat. Cræſi, & in orat. Themist. ex Herodoto, pag. 4 & 35. Et in or Timolai, ex Xenophonte, pag. 230.* Consultatio de causis & facultatibus belli gerendi, *in oratione Corinthiorum, ex Thucydide, pag. 64.* Consultatio clandestina de ratione belli gerendi, *in or. Alexandri, ex Herodoto, pag. 44.* Consultatio de hoste persequendo, *in or. Mardonii, ex Herodoto. p. 45.* Consultatio de libertatis defensione, *in orat. Periclis, ex Thucydide, pag. 66.* Consultatio de propulsanda tyrannide, & de defectione, *in or. Mauricii Afri, ex Iul. Cap. p. 185* Consultatio de optimo reip. genere eligendo, *in or. Otanis, Megabyzi, Darii, ex Herodoto, p. 7 & 8.* Consultatio de exercitu dimittendo, *in or. Cyri, ex Xenoph. p. 161* Consultatio de pacis conditionibus, *in or. Annib. ex Polyb. p. 262. Et Scip. ex eod. p. 263* Consultatio de pœna & venia, *in or. Furii Camilli, ex Liuvio, p. 52* Consultatio de profectioe & mansione, *in orat. militis cuiusdam, ex Xen. pag. 183* Consultatio de ratione adipiscendæ gloriæ, *in orat. Alexandri, ex Q. Curtio, p. 177* Consultatio de dignitate amplificanda, *in or. Annii Setini, ex Liuvio, p. 51* Consultatio de ratione imperii retinendi, *in or. Cyri, ex Xenophonte, pag. 171.* Consultatio de ratione administrandi imperii, *in orat. Ptolemæi, ex Q. Curtio, p. 180* Consultatio de successore imperii, *in orat. Perdiccæ, ex Q. Curtio, pag. 179. Et Clodii Albini, ex Iulii Capitolini Albino, p. 182* Consultatio de asciscendo collega, *in or. Constantii, ex Amm. Marcell. p. 189* Consultatio de focis conferuandis seu retinendis, *in orat. Cyri, ex Xenoph. pag. 161. Et in orat. Clearchi, ex eodem, p. 182* Consultatio in imminente periculo, *in or. Iuliani, ex Amm. Marcellino, p. 152* Consultatio de vitanda inuidia, *in orat. Callicratidæ, ex Xenoph. pag. 217. Et in or. Senecæ, ex Corn. Tacito, p. 148*
- D
- Dehortatio à libidine, *in or. P. Scipionis, ex Liuvio, p. 91*  
 Dehortatio à parato facinore, *in or. Pertinacis, ex Herodiano, p. 279. Et Pacuuii Calauuii, ex Liuvio, p. 72*  
 Dehortatio à sæuitia, *in or. Xenophontis, ex Xen. p. 208*  
 Deliberatio de belli adiumentis, *in or. Cyri, ex Xenoph. p. 164*  
 Demonstratio æquissimæ causæ ad confirmandos animos, *in orat. Constantii, ex Amm. Marcellino, pag. 192*  
 Denegatio beneficii, *in or. Tiberii Cæsaris, ex Corn. Tacito, p. 142*  
 Denuntiatio hostilis, *in or. Archidami, ex Thuc. p. 80*  
 Denuntiatio impendentis periculi, *in or. Polydamantis, ex Xen. p. 235*  
 Deprecatio, *in or. Segeſtis, ex Corn. Tacito, p. 142*  
 Deprecatio dedecoris, *in or. Sophronisbæ, ex Liuvio, p. 91*  
 Disceptatio de iudiciis, *in orat. Lacedæmoniorum, ex Thucyd. p. 110*  
 Disputatio de ratione instruendæ aciei, *in or. Cyri, ex Xenoph. p. 156*  
 Dissuasio belli suscipiendi, *in or. Sandanidis, ex Herodoto, p. 3. Et Artabani, ex eod. p. 23. Item in or. Nicia, ex Thuc. p. 114. Item in or. Cæni, ex Arr. p. 269. Item in or. Scythæ legati, ex Q. Curtio, p. 170*



Diffusio belli gerendi, <i>in orat. legatorum Massagetarum, ex Herodoto, p. 4. Et Artemisia, p. 36. Et Archidami, ex Thucyd. p. 60. Et Metii Fufetii, ex Livio, p. 22. Et Nabarzanis, ex Q. Curtio, p. 164.</i>	Diffusio belli gerendi pro dominatu, <i>in or. Othonis,</i>	p. 153
<i>3x Corn. Tacito,</i>		
Diffusio copiarum diuidendarum, <i>in orat. Achaemenis, ex Herodoto,</i>		p. 34
Diffusio hostis auidius persequendi, <i>in orat. Cyaxaris, ex Xenoph.</i>		p. 149
Diffusio iniqui muneris in bello communi suscipiendi, <i>in orat. Cephisodoti, ex Xenophonte,</i>		p. 245
Diffusio deditiois, <i>in or. Vibii Virii Campani, ex Livio,</i>		p. 78
Diffusio ne accipiantur dubia conditiones, <i>in or. Xenophontis, ex Xen.</i>		p. 209
Diffusio pacis, <i>in or. Eumenis, ex Liu.</i>		p. 109
Diffusio redemptionis, <i>in or. T. Manlii Torquati, ex Livio,</i>		p. 69
Diffusio societatis ineunda seu contrahenda, <i>in or. legati Lacedaemonii, ex Herodoto, p. 39. Et Hermocratis, ex Thuc. p. 126. Et Lycisci, ex Polyb.</i>		p. 253
Diffusio tyrannidis constituenda, <i>in or. Sosisclis Corinthii, ex Herodoto, p. 14.</i>	Diffusio	
Diffusio vrbis tyranno committenda, <i>in or. Aristheni, ex Livio, p. 103.</i>	Diffusio mu-	
Diffusio triumphi decernendi, <i>in or. L. Furii Purpurionis, ex Livio,</i>	Diffusio mu-	p. 38
Diffusio decernenda provinciae, <i>in or. Q. Fabii Maximi, ex Liu.</i>		p. 114
Diffusio creandi magistratus, <i>in or. Fabii Max. ex Livio,</i>		p. 85
Diffusio crudelis animaduersionis in defectores, <i>in or. Diodoti, ex Thuc.</i>		p. 74
Diffusio legis, <i>in or. Q. Fabii, ex Liu p. 25. Et L. Quintii Cincinnati, p. 27. Et Appii Claudii, p. 44. Et L. Valerii,</i>		p. 90
Diffusio inaequalis matrimonii, <i>in or. Tiberii, ex Corn. Tacito,</i>		p. 101
		p. 145

#### E

Expositio conditionum qua imponuntur missione donatis, <i>in or. Cyri, ex Xenophonte,</i>		p. 155
Expositio consilii, <i>in or. Lacedaemoniorum, ex Herodoto, p. 14. Et legatorum Faliscos Romanis dediturum, ex Liu.</i>		p. 37
Expositio consilii de deditioe, <i>in or. legatorum Campanorum, ex Liu.</i>		p. 48
Expositio consilii de pace impetranda, <i>in or. Camilli, ex Liu.</i>		p. 43
Expositio consilii de insolenti dominatu non ferendo, <i>in or. Martii Coriolani, ex L. p. 24</i>		
Expositio consilii de praeda diuidenda, deque usu rerum partarum, <i>in orat. Cyri, ex Xenophonte,</i>		p. 155
Expositio consilii de ratione belli gerendi, <i>in or. Appii Claudii, ex Livio, p. 34. Et Q. Cincinnati, p. 43. Et Lucii AEmilii,</i>		p. 133
Expositio legationis, <i>in or. A. Cornelii Aruina, ex Liu.</i>		p. 57
Expositio sententiae de recte morato imperio, <i>in or. Chrysantae, ex Xen.</i>		p. 174

#### M

Moderatio mandatorum, <i>in or. Agrippinensium, ex Corn. Tacito,</i>		p. 155
Monitio, <i>in or. L. AEmilii Pauli, ex Liu.</i>		p. 132
Monitio & castigatio verborum, <i>in or. Cerialis, ex Corn. Tacito,</i>		p. 156
Monitio paterna, <i>in or. Galba, ex Corn. Tacito,</i>		p. 156
Mutatio consilii, <i>in or. Xerxis, ex Herodoto,</i>		p. 26

#### O

Obiurgatio & cohortatio, <i>in or. Cyri, ex Xen.</i>		p. 158
Obiurgatio, & seditionis sedatio, <i>in or. Germanici Caesaris, ex Corn. Tacito,</i>		p. 141
Obiurgatio fraterni dissidii, <i>in or. Philippi Macedonis, ex Liu.</i>		p. 121
Obiurgatio ignaviae, <i>in or. M. Minutii Rufi, ex Livio, p. 66. Et M. Marcelli, ex eodem, p. 82</i>		
Obiurgatio militaris licentiae, <i>in or. Alexandri, ex Q. Curtio, p. 178. Et Alexandri Seueri, ex AElia Lampridii Alex. Seueri,</i>		p. 184

Obiurgatio mixta consolatione, <i>in orat. L. AEmilii, ex Livio,</i>	pag. 134
Obiurgatio non præstiti patriæ officii, <i>in or. Thrasylbuli, ex Xenoph.</i>	pag. 227
Obiurgatio seditionis, <i>in or. Othonis, ex Corn. Tacito,</i>	pag. 152
Obiurgatio silentii in deliberatione de summa rerum, <i>in or. Aristheni, ex L.</i>	pag. 96

P

Petitio auxilii, *in or. legati Atheniensis, ex Herodoto, p. 41. Et equitis Spartani, ex eod. p. 45. Et Patroclis, ex Xenoph. pag. 241. Et legatorum Campanorum, ex Livio, pag. 47. Et Varronis, ex eod. pag. 71. Et Samnitium legatorum, ex eod. p. 73. Petitio auxilii & societatis, in or. Mitylenæorum, ex Thucyd. pag. 83. Petitio societatis, in or. Corcyræorum, & in or. Euphemi, ex Thucyd. p. 48 & 129. Et in or. Corinthiorum, ex eodem, pag. 51. Et legatorum Thebanorum, ex Xenoph. pag. 227*

Petitio pacis, *in or. Lacedæmoniorum, ex Thucyd. p. 102. Et Callie ex Xenophonte, pag. 238. Et Annibalis, ex Livio, pag. 92. Et Zeufis, ex eod. p. 110. Et legatorum Darii, ex Q. Curtio, p. 160. Petitio pacis per deditionem, in or. Syracusanorum, ex Livio, p. 77. Petitio pacis, & ad eam cohortatio, in orat. Callistrati, ex Xenoph. pag. 239. Et Antoclis, ibidem. Petitio pacis & libertatis, & deprecatio belli, in or. Acuphidis, ex Arriano, p. 267.*

Petitio beneficii, *in or. relegatorum militum, ex Livio, pag. 76. Et Sp. Ligustini, ex eodem, p. 129. Et M. Hortali ex Corn. Tacito,*

Petitio honoris, *in or. Tegeatarum, ex Herodoto, p. 42. Et Atheniensium, p. 43. Et P. Licinii Calui, ex Livio, p. 37. Et Annii, p. 51.*

Petitio imperii, *in or. Dionysii Phocæi ductis, ex Herodoto, pag. 19. Et Gelonis, ex eodem, p. 32. Et Mardonii, ex eod. pag. 37.*

Petitio præmiorum, *in or. Eumenis ex Livio, p. 111. Et Rhodiorum, ex eod. pag. 112.*

Petitio præmii victoriæ, id est Suasio triumphi decernendi, *in orat. Cnæi Manlii, ex Livio, pag. 115.*

Postulatio hæreditatis, & commendatio, *in or. Prusæ, ex Polybio,*

Postulatio prælii edendi, *in or. Servii Tullii, ex Livio,*

Postulatio redemptionis, *in or. captiuorum, ex Livio,*

Postulatio vacationis à communi bello, *in or. Corinthiorum, ex Xenoph.*

Promissio auxilii, *in or. Camilli, ex Livio,*

R

Recusandi honoris oblato ratio exponitur, *in or. Tiberii, ex Corn. Tacito, pag. 145*

Recusatio honoris delati, *in or. Virginii, ex Livio, p. 28. Et in or. Valeriani, ex Trebell. Poll. pag. 187*

Recusatio auxilii, *in or. Romanorum, ex Livio,*

Recusatio imperii, *in or. Xenophontis, ex Xenoph. p. 205. Recusatio occupandi imperii, in or. Macriani, ex Treb. Poll. triginta tyrannis,*

Recusatio petitionis, seu rei petitiæ, *in or. Volcianorum, ex Livio, p. 63. Et in or. Neronis, ex Corn. Tac. p. 149. Recusatio impudentis petitionis, in or. T. Manlii, ex Livio, p. 52*

Refutatio difficultatis in bello gerendo, *in orat. Xerxis, ex Herodoto,*

Refutatio infomnii, *in or. Artabani, ex Herodoto,*

Refutatio vindictæ, *in or. Pausania, ex Herodoto,*

Repudiatio conditionum pacis, *in or. Alexandri, ex Q. Curtio,*

Reprehensio contrarii consilii, *in or. T. Sempronii, ex Livio,*

Responsio ad belli denuntiationem, *in orat. Indathyrsi, ex Herodoto,*

Responsio ad denuntiationem imminentis periculi, *in or. Athenagora, ex Thuc. p. 123*

Responsio ad dissuasionem societatis ineundæ, *in orat. eorundem (Atheniensium) ex Herodoto, p. 40*

Responsio ad petitionem imperii, *in orat. legati Atheniensium, ex Herodoto,*

Responsio ad petitionem societatis bellicæ, *in or. Scytharum, p. 11. Et Gelonis, p. 31. Et Atheniensium, ex Herodoto, p. 40*

Responsio de belli difficultate, *in or. Demarati, ex Herodoto,* p.28  
Responsio & excusatio falso expectanti, *in or. Teletiae, ex Xen.* p.231

S

- Suasio belli inferendi, *in or. Sibenelaidæ, ex Thucydide,* p.63. Et P. Sulpitii *ex Li-  
nio,* p.94. Suasio belli suscipiendi, *in orat. Aristagoræ, ex Herodoto,* p.12 & 13. Et Mar-  
donii, pag.22. Et Artabani, p.27. Et Alcibiadis, *ex Thucyd.* pag.116. Suasio belli, &  
de eius gerendi ratione consultatio, *in orat. Alcibiadis, ex Thucyd.* pag.132. Item *in  
orat. Cyri, ex Xenophonte,* pag.143. Item *in orat. Fabii Max. ex Liurio,* pag.67. Sua-  
sio belli ad conseruandam rempublicam, *in orat. Philippi, ex Salustio,* pag.12. Sua-  
sio belli necessarij, *in orat. Galgaci, ex Corn. Tacito,* pag.157. Suasio de hoste appellan-  
do, & persequendo, *in orat. Pagondæ, ex Thucydide,* pag.108  
Suasio prælii committendi, *in orat. Miltiadis, ex Herodoto,* pag.21. Suasio ad fa-  
cultatem committendi prælii, *in orat. Iuliani, ex Amm. Marcellino,* p.189  
Suasio de soluenda obsidione, *in orat. T. Quintii, ex Liurio,* p.109  
Suasio concordia, *in or. T. Quintii, ex Liurio,* pag.50. Suasio pacis, *in or. Parmenionis,  
ex Q. Curtio,* p.161. Et Constantii, *ex Amm. Marcellino,* p.188. Suasio pacis & de-  
ditionis, *in orat. Scipionis, ex Liu.* p.110. Suasio deditiois, *in orat. Timegenidæ, ex He-  
rodoto,* p.47. Et L. Lentuli, *ex Liurio,* p.55. Et T. Quintii, *ex eodem,* p.109. Et Cobaris,  
*ex Q. Curtio,* p.169. Suasio & conditio deditiois, *in oratione Alorci Hispani, ex  
Liurio* pag.62  
Suasio societatis ineunda, *in orat. Chlanae, ex Pol.* pag.251. Item *in or. Aristheni, ex  
Liurio,* pag.97. Item *in orat. legati Tenæterorum ex Corn. Tacito,* p.155. Suasio de so-  
cietate renuntianda, *in or. sociorum Philippi, ex Polybio,* p.259  
Suasio foederis ineundi, *in or. fratris Xenarchi, ex Liurio,* pag.127. Suasio rumpendi  
foederis indigni, *in or. Sp. Posthumi, ex Liurio,* p.55  
Suasio defectionis, *in orat. Procopii, ex Amm. Marcellino,* p.193  
Suasio de rep. constituenda, *in orat. ad C. Casarem, ex Salustio,* pag.16 & 18. Suasio  
de rep. ordinanda, *in orat. Pacuui Calauii Campani, ex Liurio,* p.70  
Suasio capiendi imperii, *in orat. Balistæ, ex Treb. Poll.* p.187. Suasio occupandi im-  
perii, *in orat. Autiani, ex Corn. Tacito,* p.153  
Suasio obtemperandi alterius imperio, *in orat. Minutii, ex Liu.* p.66  
Suasio de præsentis periculi depulsione, *in oratione senatoris cuiusdam, ex Iulio Capi-  
tol.* pag.186  
Suasio patriæ repetendæ, *in orat. Theati Atheniensis, ex Q. Curt.* pag.163  
Suasio de animaduersione defectorum, *in orat. Cleonis, ex Thuc.* pag.86. Suasio  
feuerè animaduertendi in autores coniurationis, *in orat. M. Porcii Catonis, ex Liurio,  
pag.117.* Suasio de feueritate animaduersionis retinenda, *in orat. C. Cassii, ex Corn.  
Tacito,* pag.147. Suasio supplicii feuerioris, *in orat. M. Porcii Catonis, ex Salustio,* pag.4.  
Suasio de autoribus turpis foederis hostibus dedendis, *in orat. Sp. Posthumi, ex Liurio,  
pag.56*  
Suasio iracundiæ remittendæ, *in orat. filia Periandri, ex Herodoto,* pag.5. Suasio  
de pœna mitiganda, *in orat. M. Lepidi, ex Corn. Tacito,* pag.144. Suasio supplicii le-  
niendi, *in orat. C. Casaris, ex Salustio,* pag.2  
Suasio communicandorum honorum cum peregrinis, *in orat. Neronis Casaris, ex  
Corn. Tacito,* pag.147  
Suasio vt victori imperatori præmia decernantur, *in orat. M. Sernilii, ex Liurio,* p.137  
Suasio de tuenda ducis salute, *in orat. Crateri, ex Q. Curtio,* p.177  
Suasio decernendæ prouinciæ, *in or. P. Cornelii, ex Liurio,* pag.87  
Suasio de creandis magistratibus, *in or. P. Decii Muris, ex Liurio,* pag.60  
Suasio de possessione remittenda, *in or. T. Quintii, ex Liurio,* pag.109  
Suasio legis, *in or. M. Catonis, ex Liurio,* pag.99  
Suasio de domicilio deligendo, *in or. Euctemonis Cynæi, ex Q. Curtio,* pag.163

Suasio de equitatu instituendo, *in or. Cyri, ex Xen.* p. 152  
 Suasio ad fidem partēque tuendas, *in or. legati Macedonum, ex Liu.* p. 94

## Ad iudiciale genus pertinentes orationes.

### A

Absolutio rei precibus condonati, *in or. Papyrii, ex Liu.* p. 54  
 Accusatio bellum molientis, *in or. Eumenis, ex Liu.* p. 128  
 Accusatio contempti imperii, *in or. Papyrii, ex Liu.* p. 53  
 Accusatio contrariæ factionis, *in or. Leontiadae, ex Xen.* p. 234  
 Accusatio erepti patrimonii, *in or. Adherbalis, ex Salustio,* p. 6  
 Accusatio eius qui maiestatem minuerat Cæsar, *in or. Capitonis Cossutiani, ex Corn. Tacito, p. 150. Et in or. Alexandri, ex Q. Curtio,* p. 180  
 Accusatio ministri tyrannidis, *in or. Curtii Montani, ex Corn. Tacito,* p. 154  
 Accusatio perduellionis, *in or. Thebanorum, ex Thucyd.* p. 97  
 Accusatio popularitatis & perfidiæ, *in or. Critia, ex Xenoph.* p. 120  
 Accusatio proditionis, *in or. Tulli Romanorum regis, ex Liu.* p. 23  
 Accusatio superbi magistratus, *in or. A. Virginii, ex Liuiio, p. 29. Et L. Decii, p. 24. Accusatio violati iuris in magistratu diutius obtinendo, in or. P. Sempronii, p. 59. Accusatio violati foederis, in or. Corinthiorum, ex Thucyd.* p. 54  
 Actio cædis, *in or. magistratus Sicyonii, ex Xenoph.* p. 245  
 Actio maiestatis, *in or. Crateri, ex Q. Curtio,* p. 166  
 Actio parricidii, *in or. Persei, ex Liuiio,* p. 121  
 Actio repetundarum, *in or. Locrensum, ex Liuiio,* p. 89

### C

Conquestio iniquæ militiæ, *in or. Vibuleni, ex Corn. Tacito,* p. 141  
 Contentio de æquitate imperii, *in or. Sulpitii, ex Liuiio,* p. 106  
 Criminatio contempti imperii, *in or. T. Manlij, ex Liuiio,* p. 52  
 Criminatio in malè sentientem de rep. *in or. Himilconis Barchinæ, ex Liuiio,* p. 72

### D

Defensio aduersus expostulationem, *in or. Xenophontis, ex Xenoph.* p. 103  
 Defensio aduersus multam irrogatam ob duriores disciplinam, *in or. Xenophontis, ex Xen.* p. 203  
 Defensio aduersus suspiciones & querelas, *in or. Xenophontis, ex Xen.* p. 194  
 Defensio belli legitimi, *in or. cuiusdam Carthaginensis, ex Liuiio,* p. 62  
 Defensio coniecti criminis, *in or. M. Marcelli Capitolini, ex Liuiio, p. 42. Defensio criminis de vexatione deditorum, in or. M. Manlij, ex Liuiio, p. 79. Defensio criminum de iniuriis, in or. Lycortæ pratoris, ex Liuiio, p. 119. Defensio criminum de fociis violatis, in or. Philippi, ex Liuiio, p. 99. Defensio criminationum, in or. Alexandri, ex Q. Curtio,* p. 173  
 Defensio defectionis, *in or. Ciuilis, ex Corn. Tacito,* p. 156  
 Defensio honesti facinoris, *in or. Mutii Scaulæ, ex Liuiio, p. 23. Defensio suscepti facinoris, in or. Hermolai, ex Q. Curtio.* p. 172  
 Defensio cædis, *in or. Sicyonii cuiusdam, ex Xenophonte, p. 246. Defensio iustæ cædis, in or. Antonini Caracallæ, ex Herodiano,* pag. 283  
 Defensio innocentæ, & accipiendi iudicii voluntas, *in oratione C. Menenii, ex Liuiio,* pag. 58  
 Defensio malè administrati imperii, *in or. Euryptolemi, ex Xen.* p. 218

Defensio peculatus & malè administrati imperii, <i>in orat. Xenophontis, ex Xenophonte,</i> <i>pag. 210</i>	
Defensio perduellionis, <i>in oratione Platæensium, ex Thucydide</i>	p. 93
Defensio per superioris potestatis appellacionē, <i>in oratione M. Fabii Maximi, ex Livio,</i> <i>pag. 53</i>	
Defensio popularitatis & perfidiæ, <i>in or. Theramenis, ex Xen.</i>	p. 222
Defensio postulati de parricidio, <i>in or. Demetrii, ex Livio,</i>	p. 123
Defensio rectæ in remp. voluntatis, <i>in or. Hannonis, ex Livio,</i>	p. 72
Defensio rei maiestatis, <i>in orat. Philotæ, ex Q. Curtio, pag. 166. Et Amyntæ, ex eodem,</i> <i>pag. 168</i>	
Defensio scripti liberioris, <i>in or. Creantii, ex Corn. Tacito,</i>	p. 144
Defensio temerè illati belli, <i>in or. Clitelis, ex Xen.</i>	p. 241
Defensio violatæ pacis, <i>in or. Atheniensium, ex Thucyd.</i>	p. 57
Deprecatio supplicii, <i>in or. P. Horatii, ex Livio,</i>	p. 22
Deprecatio belli illati, <i>in or. legatorum Tusculanorum, ex Livio,</i>	p. 43
Detrectatio iudicii subeundi, <i>in or. P. Scipionis Africani, ex Livio,</i>	p. 116
Disceptatio de pœna, <i>in or. Pati Thraseæ, ex Corn. Tacito,</i>	p. 149

### E

Excusatio intermissi officii, <i>in or. Cyri, ex Xenoph.</i>	p. 170
Excusatio turpis amicitia, <i>in or. M. Terentii, ex Corn. Tacito,</i>	p. 146
Excusatio & querela iniuriæ, <i>in or. Callinis, ex Arr.</i>	p. 273
Expostulatio, <i>in or. Peloponnesium, ex Thucyd.</i>	p. 53
Expostulatio belli illati, <i>in or. Platæensium, ex Thuc.</i>	p. 79
Expostulatio illatæ iniuriæ, <i>in or. Cyaxaris, &amp; Tissaphernis, &amp; Hecatonymi, ex Xenoph.</i> <i>p. 159. &amp; 184, &amp; 195. Item ex Livio, in or. Q. Martii, p. 130. Et Philippi Macedonis,</i> <i>ex eodem,</i>	p. 118
Expostulatio iniusti belli, <i>in or. Pharnabazi, ex Xenoph.</i>	p. 229
Expostulatio ob fœdus violatum, <i>in or. Cl. Pontii, ex Liv.</i>	p. 57

### I

Incretio turpis facinoris, <i>in or. Camilli, ex Liv.</i>	p. 37
Inuectiua in autorem belli, <i>in or. Hannonis, ex Livio,</i>	pag. 61
Inuectiua in defectorem exercitum, <i>in or. P. Corn. Scip. ex Polybio,</i>	p. 261
Inuectiua in factiosum, <i>in or. Cornelii Cossi, ex Liv.</i>	pag. 41
Inuectiua in ingratos & ignavos, <i>in or. Alexandri, ex Arr.</i>	pag. 271
Inuectiua in licentiam potentiorum, <i>in or. Virginii Patris, ex Liv.</i>	pag. 27
Inuectiua in percussores imperatoris, <i>in or. Seneri, ex Herodiano,</i>	pag. 281
Inuectiua in popularem, <i>in or. L. Quintii Cincinnati, ex Liv.</i>	pag. 26
Inuectiua in superbum dominatum, <i>in or. Icili, ex Livio,</i>	pag. 27

### M

Mitigatio iracundiæ, <i>in orat. Cleocriti, ex Xenoph.</i>	p. 226
--	--------

### P

Purgatio affectatæ tyrannidis, <i>in orat. P. Valerii Publicolæ, ex Livio,</i>	p. 23
Purgatio criminationis, seu criminationum, siue obiectorum criminum, <i>in orat. Histiai, ex Herodoto, pag. 17. Item in or. Nabidis, &amp; Persei, &amp; Rhodiorum, ex Liv.</i> <i>pag. 104, &amp; 130, &amp; 135</i>	
Purgatio & remotio suspicionum, <i>in or. Tissaphernis, ex Xen.</i>	p. 187
Purgatio perduellionis, <i>in orat. legatorum C. Manlii, ex Salustio,</i>	p. 2
Purgatio suspicionis seu suspitionum, <i>in or. Annibalis, ex Livio, pag. 106.</i>	
Purgatio ad remotionem suspicionis, <i>in orat. Actii Tullii, ex eodem,</i>	p. 24.

Purgatio suspitionis ad animos conciliandos, <i>in or. Clearchi, ex Xen.</i>	p.181
<b>Q</b>	
Querela de conuentionibus malè seruatis, <i>in or. Clearchi, ex Xenoph.</i>	p.186
<b>R</b>	
Refutatio criminationis, <i>in or. Atheniensium, ex Thuc.</i>	p.54
Reprehensio iniquæ dominationis, <i>in or. Minionis, ex Liuiio,</i>	p.106
Reprehensio perfidiæ & defectionis, <i>in or. P. Scipionis, ex Liuiio,</i>	p.83
Reprehensio tyrannidis, <i>in or. T. Quintii, ex Liuiio,</i>	p.104
Responsio ad expostulationem, <i>in or. Archidami, ex Thuc.</i> p. 80.	Responsio ad expostulationem iniquæ populationis, <i>in or. Xenophontis, ex Xenoph.</i> p.213.
Responsio ad expostulationem iniuriæ, <i>in or. Clearchi, ex Xen.</i> p.185.	Responsio ad expostulationem iniusti belli, <i>in or. Agesilai, ex Xenoph.</i>
	p.230

## Ad demonstratiuum genus pertinentes orationes.

<b>C</b>	
Collaudatio in dando beneficio, <i>in or. Philippi, ex Liuiio,</i>	p.126
<b>D</b>	
Disceptatio de virtute & victoria, <i>in or. Chrystantæ, ex Xenoph.</i>	p.140
Disputatio de ratione eripiendæ ignauix, <i>in or. Cyri, ex Xenoph.</i>	p.46
Disputatio de vi virtutis, cum cohortatione ad eam amplexandam, <i>in or. Pher. ex Xenophonte,</i>	p.141
<b>E</b>	
Expositio rerum gestarum, <i>in or. L. AEmilii Pauli, ex Liuiio,</i> p.139.	Expositio rerum gestarum, & gratulatio, <i>in or. Alexandri, ex AElui Lampridii Alex. Seuero,</i> p.184
<b>G</b>	
Gratulatio & laudatio, rebus bene gestis, <i>in or. Cambysis, ex Xenoph.</i>	p.716
Gratulatio, & muneris delati expositio, <i>in orat. Decii, ex Treb. Poll. Valer. patre &amp; filio,</i> pag.187	
Gratulatio victoriæ, <i>in orat. Persei, ex Liuiio,</i> p.132. Et Constantii, <i>ex Amm. Marcellino,</i> p.190.	Gratulatio victoriæ, & laudatio, <i>in or. Cyri, ex Xenoph.</i> p.117
Gratiarum actio, <i>in or. Diadumeni, ex AElui Lampridii Diadumeno,</i> p.183. Et Alexandri Seueri, <i>ex AElui Lampridii Alex. Seuero,</i> p.183.	Gratiarum actio & gratulatio, <i>in or. Saguntinorum, ex Liuiio,</i> p.84.
Gratiarum actio cum expositione consilii, <i>in or. Bocchi ad Syllam, ex Salustio,</i>	p.11
<b>L</b>	
Laudatio seu oratio funebris, <i>in or. Periclis, ex Thuc.</i>	p.71
Laudatio ad deliberationem accommodata, <i>in or. Demarati, ex Herodoto,</i>	p.30
Laudatio beneficentiæ & regiæ munificentix, <i>in or. Cyri, ex Xen.</i>	p.175
Laudatio cum commendatione beneficii, <i>in or. Alex. ex Q. Curtio,</i>	p.179
Laudatio fortitudinis, <i>in or. Demarati, ex Herodoto,</i>	p.33
<b>R</b>	
Refutatio vituperationis, <i>in or. Annibalis, ex Liuiio,</i>	p.93
Reprehensio perfidiæ, <i>in or. Perolla, ex Liuiio,</i>	p.72
<b>V</b>	
Vituperatio assentationis, <i>in or. Callisthenis, ex Q. Curtio,</i>	p.172
Vituperatio cum denuntiatione belli, <i>in or. caduceatoris Persæ, ex Herodoto,</i>	p.44
Vituperatio ignauix, <i>in or. Xerxis, ex Herodoto,</i>	p.25

## INDEX SCRIPTORVM EX QVI-

bus orationes seu conciones Græcæ excerptæ sunt.

Ex Herodoto excerptæ orationes seu conciones,	pag. 3
Ex Thucydide,	pag. 48
Ex Xenophonte,	pag. 137
Ex Polybio,	pag. 249
Ex Arriano,	pag. 266
Ex Herodiano,	pag. 275

## INDEX SCRIPTORVM EX QVI-

bus orationes seu conciones Latinæ excerptæ sunt.

Ex Salustio excerptæ orationes seu conciones,	pag. 1
Ex Liuiio,	pag. 22
Ex Corn. Tacito,	pag. 141
Ex C. Curtio,	pag. 160
Ex Iulio Capitolino,	pag. 182
Ex Aelio Lampridio,	ibidem
Ex Aelii Lampridii Alex. Seueri,	pag. 183
Ex Iulii Capitolini Maximini duobus,	pag. 185
Ex Iulii Capitolini Gordianis tribus,	ibidem
Ex Iulii Capitolini Maximo & Balbino,	pag. 186
Ex Trebellii Poll. Valeriano patre & filio,	pag. 187
Ex Trebellii Poll. triginta tyrannis,	ibidem
Ex Amm. Marcellino,	pag. 188

INDEX SCRIPTORVM EX. CVI

Ex Hierodoto ex scriptoribus seu scriptoribus  
 Ex Thucydide  
 Ex Xenophonte  
 Ex Platone  
 Ex Aristotele  
 Ex Strabone  
 Ex Ptolemaeo

INDEX SCRIPTORVM EX. CVII

Ex 2. Julii ex scriptoribus seu scriptoribus  
 Ex 3. Julii  
 Ex 4. Julii  
 Ex 5. Julii  
 Ex 6. Julii  
 Ex 7. Julii  
 Ex 8. Julii  
 Ex 9. Julii  
 Ex 10. Julii  
 Ex 11. Julii  
 Ex 12. Julii  
 Ex 13. Julii  
 Ex 14. Julii  
 Ex 15. Julii  
 Ex 16. Julii  
 Ex 17. Julii  
 Ex 18. Julii  
 Ex 19. Julii  
 Ex 20. Julii  
 Ex 21. Julii  
 Ex 22. Julii  
 Ex 23. Julii  
 Ex 24. Julii  
 Ex 25. Julii  
 Ex 26. Julii  
 Ex 27. Julii  
 Ex 28. Julii  
 Ex 29. Julii  
 Ex 30. Julii  
 Ex 31. Julii  
 Ex 32. Julii  
 Ex 33. Julii  
 Ex 34. Julii  
 Ex 35. Julii  
 Ex 36. Julii  
 Ex 37. Julii  
 Ex 38. Julii  
 Ex 39. Julii  
 Ex 40. Julii  
 Ex 41. Julii  
 Ex 42. Julii  
 Ex 43. Julii  
 Ex 44. Julii  
 Ex 45. Julii  
 Ex 46. Julii  
 Ex 47. Julii  
 Ex 48. Julii  
 Ex 49. Julii  
 Ex 50. Julii  
 Ex 51. Julii  
 Ex 52. Julii  
 Ex 53. Julii  
 Ex 54. Julii  
 Ex 55. Julii  
 Ex 56. Julii  
 Ex 57. Julii  
 Ex 58. Julii  
 Ex 59. Julii  
 Ex 60. Julii  
 Ex 61. Julii  
 Ex 62. Julii  
 Ex 63. Julii  
 Ex 64. Julii  
 Ex 65. Julii  
 Ex 66. Julii  
 Ex 67. Julii  
 Ex 68. Julii  
 Ex 69. Julii  
 Ex 70. Julii  
 Ex 71. Julii  
 Ex 72. Julii  
 Ex 73. Julii  
 Ex 74. Julii  
 Ex 75. Julii  
 Ex 76. Julii  
 Ex 77. Julii  
 Ex 78. Julii  
 Ex 79. Julii  
 Ex 80. Julii  
 Ex 81. Julii  
 Ex 82. Julii  
 Ex 83. Julii  
 Ex 84. Julii  
 Ex 85. Julii  
 Ex 86. Julii  
 Ex 87. Julii  
 Ex 88. Julii  
 Ex 89. Julii  
 Ex 90. Julii  
 Ex 91. Julii  
 Ex 92. Julii  
 Ex 93. Julii  
 Ex 94. Julii  
 Ex 95. Julii  
 Ex 96. Julii  
 Ex 97. Julii  
 Ex 98. Julii  
 Ex 99. Julii  
 Ex 100. Julii



# Orationes ex Salustio collectæ.

ORATIO CATILINAE, QVA SVI DE CONIVRATIONE consilii participes cohortatur.

SALVST. CONIVR. CATIL.

*Catilina, vbi eos quos paulo antè memoravi ab eo factos sui de coniuratione consilii participes, conuenisse videt, tamen cum singulis multa sæpe egerat, tamen in rem fore credens vniuersos appellare & cohortari, in abditam partem ædium secedit: atque ibi, omnibus arbitris, procul amoris, orationem huiuscemodi habuit,*

**N**isi virtus atque fides vestra satis spectata mihi foret, nequicquam opportuna res cecidisset, spes magna dominationis in manibus frustra fuisset: neque ego per ignauiam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis & magnis tempestatibus vos cognoui fortes, fidósque mihi, eò animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere: simul quia vobis eadem quæ mihi bona malâque esse intellexi. Nam IDEM velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego, quæ mente agitavi, omnes iam antea diuersi audistis. Cæterum mihi in dies magis animus accenditur, quum considero quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmetipfos vindicemus in libertatem. Nam postquam Resp. in paucorum potentum ius atque ditionem concessit, semper illis reges, tetrarchæ vestigales esse: populi, nationes stipédia pendere: cæteri omnes strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine autoritate: iis obnoxii quibus, si Resp. valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, diuitiæ apud illos sunt, aut vbi illi volût: nobis reliquere pericula, repulsas, iudicia, egestatem. Quæ quousque tandem patiemini, ô fortissimi viri? Nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam, vbi alienæ superbix ludibrio fueritis, per dedecus amittetis? Verumenimvero, pro deum atque hominum fidem, victoria in manu nobis est: viget ætas, animus valet: contra illis, annis atque diuitiis omnia consenuere. Tantummodo incepto opus est, cætera res ipsa expediet. Etenim quis mortaliû cui virile ingenium est, tolerare potest, illis diuitias superare, quas profundant in extruendo mari, & montibus cœquâdis: nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos cõtinuare, nobis larem familiarem nusquam vllum esse? quum tabulas, signa, toreumata emunt, vetera negligunt, noua diruunt: alia ædificant: postremò omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen summa libidine diuitias suas vincere nequeunt. At nobis est domi inopia, foris æs alienum, mala res, spes multo asperior. denique quid reliqui habemus præter miseram animam? Quin igitur expergiscimini? En illa, quam sæpe optastis, libertas: præterea diuitiæ, decus, gloria, in oculis sita sunt. Fortuna omnia ea victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis quàm oratio mea, vos hortentur. vel imperatore vel milite me vtimini: neque animus neque corpus aberit à vobis. Hæc ipsa, vt spero, vobiscum, vnà Consul agam, nisi fortè animus me fallit, & vos seruire magis quàm imperare parati estis.

ORATIO ALIA EIVSDEM CATILINAE QVA suos milites adhortatur.

SALVST. CONIVR. CATIL.

*Sed Catilina, postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in vrbe res aduersas, neque fugæ neque præsidii vllam spem, optimùm factu ratus in tali re fortunâ belli tentare, statuit cû Antonio quâprimùm cõfligere. Itaq; cõcione aduocata, huiuscemodi orationem habuit,*

**C**ompertum habeo milites, verba virtutem non addere, neque ex ignauo strenuum, neque fortem ex timido exercitum imperatoris oratione fieri. QVANTA cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria neque pericula excitant, nequicquam hortere: timor animi auribus officit. Sed ego vos, quò pauca monerem, aduocui: simul vt causam mei consilii aperirem. Scitis equidem milites, socordia atque ignauia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit: quòque modo dum ex vrbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiuerim. Nunc verò quo loco res nostræ sint, iuxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, vnus ab vrbe, alter à Gallia obstant. Diutius in his locis esse, si animus maximè ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet. Quocunque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos

moneo uti forti atque parato animo sitis : & quum præliū inibitis , memineritis vos diuitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt: commeatu abudè, municipia atque coloniæ patebant: sin metu cesserimus, eadem illa aduersa fient: neque locus neque amicus quisquam teget quem arma non texerint. Præterea milites non eadem nobis & illis necessitudo impendet: nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis superuacaneum est pugnare pro potentia paucorum. Quò audacius aggredimini, memores pristinæ virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere: potuistis nonnulli Romæ amissis bonis alienas opes spectare. Quia illa fœda atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decreuistis. Si hæc relinquere vultis, audacia opus est. NEMO, nisi victor, pace bellum mutauit, nam in fuga salutem sperare, quum arma, quibus corpus regitur, ab hoste auerteris, ea verò demerita est. SEMPER in prælio iis est maximū periculum qui maximè timent, audacia pro muro habetur. Quum vos considero milites, & quum facta vestra æstimo, magna me spes victoriæ tenet: animus, ætas, virtus vestra me hortantur: præterea necessitudo, quæ etiam timidos fortes facit, nam multitudo hostium ne nos circumuenire queat, prohibent angustiæ loci. Quòd si virtuti vestræ fortuna inuiderit, cauete ne inulti animam amittatis: neu capti potius sicuti pecora trucidemini, quàm virorum more pugnantem, cruentam atque luëtuoſam victoriam hostibus relinquatis.

ORATIO LEGATORVM C. MANLII AD Q.  
Martium regem.

SALVST. CONIVR. CAT.

Neque tamen Catilinæ furor minuebatur, sed in dies plura agitare: arma per Italiam locis opportunis parare: pecuniam sua aut amicorum fide sumptam inuicem Fesulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciendi. *Aliquanto post*, Interea Manlius in Hetruria plebem sollicitare egestate simul ac dolore iniuriæ nouarum rerum cupidam: quòd Syllæ dominatione agros bonâque omnia amiserat: præterea latr. &c. *Paulo post*, In quibus literis scriptum erat C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine, ante diem vi Cal. Nouembr. *Aliquanto post*, Dum hæc Romæ geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Q. Martium regem mittit, cum mandatis huiusmodi,

**D**Eos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quò periculum aliis faceremus: sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egestes, violentia atque crudelitate fœneratorum, plerique patria, sed omnes fama atque fortunæ expertes sumus. Neque cuiquam nostrum licuit, more maiorum, lege uti: neque amisso patrimonio, liberum corpus habere: tanta fœuitia fœneratorum atque Prætoris fuit. Sæpe maiores nostri miseri plebis Romanæ, decretis suis inopiæ eius oppulsi sunt. Ac nouissimè memoria nostra, propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum communi ære solutum est. Sæpe ipsa plebs aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum armata à patribus secessit. At nos non imperium neque diuitias petimus, (quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortales sunt) sed libertatem, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit. Te atque Senatorem obtestamur ut consulatis miseris ciuibus: legis præsidium quod iniquitas Prætoris eripuit, restituatis, neque nobis eam necessitudinem imponatis, ut quæramus quoniam modo maximè vlti sanguinem nostrum, pereamus.

ORATIO C. CAESARIS SVAM SENTENTIAM SENATUI  
exponentis de coniurationis Catilinæ fociis qui in  
custodiis tenebantur.

SALVST. CONIVR. CAT.

Tunc D. Iunius Syllanus, primus sententiam rogatus (quòd eo tempore Consul designatus erat) de iis qui in custodiis tenebantur, & præterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreuerat. Isque postea permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tiberii Neronis iterum se dixerat: quòd de eare, præsidii additis, referendum esse censuerat. Sed Cæsar, ubi ad eum ventum est, rogatus à Consule sententiam, huiusmodi verba loquutus est,

**O**Mnes homines, p. c. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. HAVD facile animus verum prouidet ubi illa offi-

ciunt: neque quisquam omnium libidini simul & vsui paruit. vbi intenderis ingenium, valet: si libido possidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C. qui reges aut qui populi ira aut misericordia impulsī, malè consuluerint. Sed ea malo dicere quæ maiores nostri contra libidinem animi sui rectè atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum ciuitas magna atque magnifica, quæ populi Rom. opibus creuerat, infida atque aduersa nobis fuit: sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, nequis diuitiarum magis quàm iniuriæ causa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum sæpe Carthaginienses & in pace & per inducias multa nefaria facinora fecissent, nunquam ipsi per occasionem talia fecere: magis, quid se dignum foret, quàm quid in illos iure fieri posset, quærebant. Hoc item vobis prouidendum est, P. C. ne plus apud vos valeat P. Lentuli & cæterorum scelus quàm vestra dignitas: néve magis iræ vestræ, quàm famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, nouum consilium approbo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exuperat, iis vtendum censeo quæ legibus comparata sunt. Plerique eorum qui ante me sententias dixerunt, compositè ac magnificè casum Reipub. miserati sunt: quæ belli sæuitia esset, quæ victis acciderent, enumerauerunt: rapi virgines, pueros: diuelli liberos à complexu parentum: matres familiarum pati quæ victoribus collibuisse: fana atque domos spoliari, cædem, incendia fieri: postremò armis, cadaueribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed per deos immortales, quò illa oratio pertinuit? an vt vos infestos coniurationi faceret? scilicet quem tanta res atque tam atrox non permouit, eum oratio accenderet. non ita est: nequè cuiquam mortalium iniuriæ suæ paruæ videntur: multi etiam eas grauius æque habuere. Sed aliis alia licentia est, P. C. Qui demissi in obscuro vitam agunt, siquid iracundiâ deliquere, pauci sciunt: fama atque fortuna eorum pares sunt: qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouere. Ita in maxima fortuna minima licentia est: neque studere neque odisse, sed minimè irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Equidem ego sic existimo, P. C. omnes cruciatus minores quàm facinora illorum esse. Sed plerique mortales postrema meminere, & in hominibus impiis, sceleris eorum obliui, de pœna differunt, si ea paulo sæuior fuerit. D. Syllanum virum fortem atque strenuum certò scio, quæ dixerit, studio Reipub. dixisse: neque illū in tanta re gratiam aut inimitias exercere: eos mores eamque modestiam viri cognoui. Verùm sententia eius mihi crudelis nō est: (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena à Reipub. nostra videtur. Nam profectò aut metus aut iniuriā te subegit Syllane, Cōsulem designatum, genus pœnæ nouum decernere. De timore superuacaneum est differere: quum præsertim diligentia clarissimi viri Consulis tanta sint præsidia in armis. De pœna possum equidem dicere id quod res habet, in luctu atque miseris, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissoluere, vltra neque curæ neque gaudio locum esse. Sed per deos immortales quamobrem in sententiam non addidisti, vt prius verberibus in eos animaduertetur? An quia lex Porcia vetat, ac aliæ item leges condemnatis ciuibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent? an quia grauius est verberari quàm necari? Quid aut acerbum aut nimis graue est in homines tanti facinoris conuictos? Sin, quia leuius est, quàm conuenit in minore negotio legem timere, quum eam in maiore neglexeris? At enim dices quis reprehendet quod in parricidas Reipub. decretū erit? tempus, dies, fortuna, cuius libido gentibus moderatur. Illis meritiò accidet quicquid euenierit. Cæterum vos, P. C. quid in alios statuatis considerate. *Omnia* mala exempla ex bonis initiis orta sunt. Sed vbi imperium ad ignauos ciues aut minus bonos peruenit, nouum illud exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non idoneos transfertur. Lacedæmonii, deuictis Atheniensibus, triginta viros imposuere qui Reipub. eorum tractarent. Hi primò cepere pessimum quenque & omnibus inuisum indemnatum necare. Ea populus lætari, & meritiò dicere fieri. Post, vbi licentia paulatim creuit, iuxta bonos & malos libidinose interficere, cæteros metu terrere. Ita ciuitas seruitute oppressa, stultæ lætitiæ graues pœnas dedit. Nostra memoria victor Sylla, quum Damasippum, & alios huiuscemodi, qui malo Reipub. creuerant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos & factiosos, qui seditionibus Reipub. exagitauerant, meritiò necatos

aiebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit. nam vti quisque aut domum aut villam, postremò vas aut vestimentum alicuius concupiuerat, dabat operam vt is in proscriptorum numero esset. Ita illi quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, paulo post ipsi trahebantur. neque prius iugulandi finis fuit quàm Sylla omnes suos diuitiis expleuit. Atq; ego hoc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor: sed in magna ciuitate multa & varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio Consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi: vbi hoc exemplo per Senatus decretum Consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet? aut quis moderabitur? Maiores nostri, Patres C. neque cõsiliu neque audaciæ vnquam eguere: neque illis superbia obstabat quominus aliena instituta, si modò proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria à Samnitibus, insignia magistratuum à Tuscis pleraque sumpserunt. Postremò, quod vbique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequabantur. Imitari, quàm inuidere bonis, malebãt. Sed eodem illo tempore Græciæ morem imitati, verberibus animaduertebant in ciues, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam Respublica adoleuit, & multitudine ciuium factiones valere, circumueniri innocentes, aliâque huiuscemodi fieri cœpere. Tunc lex Porcia aliâque leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permisum est. Hanc ego causam, P. C. quominus nouum consilium capiamus, in primis magnâ puto. Profectò virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex paruis opibus tantum imperium fecere, quàm in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, & augeri exercitum Catilinæ: Minimè. sed ita censeo, publicandas eorum pecunias: ipsos in vinculis per municipia habendos, quæ maximè opibus valent: neu quis de his costea ad Senatum referat, nève cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum existimare, cum contra Rempub. & salutem omnium facturum.

ORATIO M. PORCII CATONIS PROXIME PRAE-  
cedenti orationi C. Cæsaris respondens.

SALVST. CONIVR. CAT.

Postquam Cæsar dicendi finē fecit, cæteri verbo, alius alii variè assentiebantur. At M. Porcius Cato rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit,

**L**ongè mihi alia mens est, P. C. quum res atque pericula nostra considero, & quum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. Illi mihi differuisse videntur de pœna eorum qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis bellum parauere: res autem monet, cauere ab illis magis quàm, quid in illos statuamus, consultare. Nam cætera maleficia tum persequare, vbi facta sunt: hoc nisi prouideris ne accadat, vbi euenerit, iudicia frustra implores. Capta vrbe, nihil sit reliqui victis. Sed per deos immortales vos ego appello qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris quàm Rēpublicam fecistis: si ista, cuiuscunque modi sint, quæ amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium præbere vultis: expergiscimini aliquando, & capeffite Rempublicam. Non nunc agitur de vectigalibus, neque de sociorum iniuriis: libertas & anima nostra in dubio est. Sapenumero, P. C. multa verba in hoc ordine feci: sæpe de luxuria atque auaritia nostrorum ciuium questus sum, multosque mortales ob eam causam aduersos habeo. Qui mihi atq; animo meo nullius vnquam delicti gratiam fecissem, haud facilè alterius libidini malefacta cõdonabam. Sed ea tamen vos parui pendebatis, tamen Respub. firma erat, opulentia negligentiam tolerabat. Nunc verò non id agitur, bonisne an malis moribus viuamus, neque quantū aut quàm magnificū imperiū populi Romani sit: sed hæc, ( cuiuscūque modi videtur ) nostra, an nobiscum vnà hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem & misericordiam nominat: Iam pridem equidem nos vera rerū vocabula amisimus, quia bona aliena largiri, liberalitas: malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: ne Respublica in extremo sita est. Sint sanè ( quoniam ita se mores habent ) liberales, ex sociorū fortunis, sint misericordes in furibus ærarii: ne illi sanguinem nostrum largiantur: & dum paucis scelestis parcūt, bonos omnes perditum eant. Bene & compositè C. Cæsar paulo antè in hoc ordine de vi-ta & morte differuit: credo, falsa existimans ea quæ de inferis memorantur, diuerso itinere malos à bonis, loca tetra, inculta, scæda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos: videlicet timens ne, si Ro-

mae sint, aut à popularibus coniurationis, aut à multitudine conducta, per vim eripiantur. Quasi verò mali atque scelesti tantummodo in vrbe, & non per totam Italiam sint, aut nò ibi plus possit audacia vbi ad defendendum opes minores sunt. Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit: si in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. Quare quum de P. Lentulo cæterisque statue-  
 tis, pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinæ & de omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit: si paululum modò vos læ-  
 guere viderint, iam omnes feroces aderunt. Nolite existimare maiores nostros armis Rem-  
 pub. ex parua magnam fecisse. Si ita res esset, multò pulcherrimam eam nos haberemus.  
 quippe fociorū atque ciuium, præterea armorum atque equorū maior nobis copia quàm  
 illis est. Sed alia fuere quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris  
 iustum imperiū, animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Pro  
 his nos habemus luxuriam atque auaritiam: publicè egestatem, priuatim opulentiam: lau-  
 damus diuitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen est: omnia  
 virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum, vbi vos separatim sibi quisque consiliū  
 capitis, vbi domi voluptatibus, hinc pecuniæ aut gratiæ seruitis: eo fit vt impetus fiat in va-  
 cuam Remp. Sed ego hæc omitto. Coniurauere nobilissimi ciues patriam incendere: Gal-  
 lorum gentem infestissimam Romano nomini ad bellū accersunt: dux hostium cū exer-  
 citu supra caput est: vos cunctamini etiam nunc: & dubitatis quid intra moenia deprehen-  
 sis hostibus faciatis? Misereamini, censeo, (deliquere homines adolescentuli per ambitio-  
 nē) atque etiā armatos illos dimittatis. Næ ista vobis mansuetudo & misericordia, si illi ar-  
 ma ceperint, in miseriam conuertetur. Scilicet res ipsa aspera est: sed vos non timetis eam.  
 Imò verò maximè timetis, sed inertia & mollitia animi alius alium expectantes cunctami-  
 ni: videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc Rēp. in maximis sæpe periculis seruauere.  
 NON votis neque supplicii muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, be-  
 ne consulendo, prosperè omnia cedunt: vbi focioriæ te atque ignauiæ tradideris, ne quicquā  
 deos implores: irati infestique sunt. Apud maiores nostros Aulus Manlius Torquatus bel-  
 lo Gallico filium suum, quòd is contra imperium in hostem pugnauerat, necari iussit, atq;  
 ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudelissimis  
 parricidis quid statuatis cunctamini? Videlicet cætera vita eorū huic sceleri obstat. Verum  
 parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famæ suæ, si diis aut hominibus vnquam vllis  
 pepercit. Ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum iam patriæ bellum fecit. Nam quid e-  
 go de Gabinio, Statilio, Cæpario loquar? quibus si quicquam pensi vnquam fuisset, non  
 ea consilia de Rep. habuissent. Postremò, P. C. si mehercle peccato locus esset, facile paterer  
 vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis. Sed vndique circumuenti sumus: Ca-  
 tilina cum exercitu in faucibus vrget, alii intra moenia atque in sinu vrbs sunt hostes:  
 neque parari neque consuli quicquam potest occulte, quo magis properandum est. Quare  
 ego ita censeo: quū nefario consilio sceleratorum ciuium Respub. in maxima pericula ve-  
 nerit, iique indicio T. Vulturii & legatorum Allobrogum conuicti, confessique sint eadē  
 incedia, aliâque se foeda atque crudelia facinora in ciues patriamq; paruissse: de confessis,  
 sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum, supplicium sumendum.

ORATIO MICIPSAE REGIS AD IUGURTHAM,  
 qua eum officii sui admonet, finem vitæ sibi adesse  
 intelligens.

SALVST. IN BELLO IUGURTH.

Igitur rex Micipsa, vbi ea quæ fama acceperat, Iugurtham bello Numantino in tantam claritudinem per-  
 uenisse ut Romanis uehementer charus esset, ex lireri imperatoris ita esse cognouit, tum virtute tum gra-  
 tia viri permotus, flexit animum suum, & Iugurtham beneficiis vincere aggressus est, statimque  
 eum adoptauit, & testamento pariter cum filiis hæredem instituit: quum antea sibi ab eo timens, ideo  
 illum Numidus quos in Hispaniam mittebat præfessisset, quòd in eo bello facile occisurum speraret. Sed ipse pau-  
 cos post annos morbo atq; ætate confectus, quum sibi finē vitæ adesse intelligeret, corā amicis  
 & cognatis, itēmq; Adherbale & Hiëpsale filiis, huiuscemodi verba cū Iugurtha fertur habuisse,

**P**aruum ego te, Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi:  
 existimans non minus me tibi, quàm liberis, si genuissem, ob beneficia charum fore.

Neque ea res falsum me habuit. nam ut alia magna & egregia tua facta omittam, nouissimè rediens Numantia, me regnumque meum gloria decorasti, tuâque virtute nobis Romanos ex amicis amicissimos fecisti: in Hispania nomen familiæ nostræ renouasti: postremò (quod difficillimum inter mortales est) gloria inuidiam vicisti. Nunc quoniam mihi natura finem vitæ facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo: obtestorque te, ut hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, charos habeas: neu malis alienis adiungere, quàm sanguine coniunctos retinere. NON exercitus neque thesauri præfidia regni sunt, verùm amici: quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio & fide parantur. Quis autem amicior quàm frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis: sin mali, imbecillum. NAM concordia paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Cæterum ante hos te, Iugurtha, qui ætate & sapientia prior es, ne aliter quid eueniat, prouidere decet. NAM in omni certamine, qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. Vos autem Adherbal & Hiempsal colite & obseruate talem hunc virum: imitamini virtutem, & enitimini ne ego meliores liberos sumpsisse videar quàm genuisse.

### ORATIO ADHERBALIS AD SENATVM ROM.

qua se à Iugurtha regno fortunisque omnibus expulsum queritur.

#### SALVST. IN BELLO IUGURTH.

Igitur vbi legati à Iugurtha cum argento & auro multo Romam missi satis confidunt, die constituto Senatus vtrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo loquutum accepimus,

**P**atres conscripti, Micipsa pater meus moriens mihi præcepit uti regni Numidiæ tantummodo procurationem existimarem meam, cæterum ius & imperium eius penes vos esse: simul eniterer domi militiæque quam maximo vsui esse populo Romano: vos mihi cognatorum, vos affinium loco duceré. si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, diuitias, munimenta regni me habiturum. Quæ præcepta patris mei quum agitarem, Iugurtha, homo omnium quos terra sustinet, sceleratissimus, contempto imperio vestro, Masinissæ me nepotem, etiam à stirpe socium atque amicum populi Rom. regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, P. C. quoniam eò miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea quàm ob maiorum meorum beneficia me posse à vobis auxilium petere, ac maximè deberi mihi beneficia à Pop. Rom. quibus non egerem, sed ea si desideranda erant, uti debitis vterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret, ad vos confugi, P. C. quibus (quod mihi miserrimum est) cogor prius oneri quàm vsui esse. Cæteri reges, aut bello victi in amicitiam à vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appetiuerunt: familia nostra cum pop. Rom. bello Carthaginensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides eius quàm fortuna pendenda erat. Quorum progeniem vos, P. C. nolite pati me nepotem Masinissæ frustra à vobis auxilium petere. Sed si ad impetrandum nihil causæ haberem, præter miseradam fortunam, quòd paulo antè rex genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes expecto: tamen erat maiestatis populi Romani prohibere iniuriã, neque parì cuiusquam regnum per scelus crescere. Verum ego iis finibus eiectus sum quos maioribus meis pop. Rom. dedit: vnde pater & auus meus vnà vobiscum expulere Syphacem & Carthaginenses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, P. C. vos in mea iniuria despecti estis. Heu me miserum. huccine Micipsa pater beneficia tua euasere, ut quem tu parem cum liberis tuis regni que participem fecisti, is potissimum stirpis tuæ extinctor sit? Nunquàmne ergo familia nostra quieta erit: semperne in sanguine, ferro, fuga versabitur? Dū Carthaginenses incolumes fuere, iure omnia sæua patiebamur: hostes à latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa eiecta est, læti pacem agitabamus, quippe queis nullus hostis erat, nisi fortè quem vos iussissetis. Ecce autem ex improviso Iugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese efferens, fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primùm regnum eius sceleris sui prædam fecit: post, vbi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus quàm vim aut bellū expectantem in imperio vestro, (sicuti videtis) extorrem patria, domo, inopem & coopertum miseriis effecit, ut vbiuis tutius

quàm in meo regno effem. Ego sic existimabam, P. C. uti prædicantem audieram patrem meum, qui vestram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, cæterum ex omnibus maximè tutos esse. Quod in familia nostra fuit, præstitit, ut in omnibus bellis adesset vobis: nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, P. C. Pater nos duos fratres reliquit: tertium Iugurtham beneficiis suis ratus est nobis coniunctum fore. Alter eorum necatus est, alter ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quò potissimùm infelix accedam? generis præsidia omnia extincta sunt. pater, uti necesse erat, naturæ concessit: fratri, quem minimè decuit, propinquus per scelus vitam eripuit: affines, amicos, propinquos, cæteros meos, alium alia clades oppressit: capti ab Iugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt: pauci quibus relicta est anima, clausi in tenebris cum mœrore & luctu, morte grauiorem vitam exigunt. Si omnia quæ aut amisi, aut ex necessariis aduersa facta sunt, incolumia manerent: tamen siquid ex improviso mali accidisset, vos implorarem, P. C. quibus pro magnitudine imperii, ius & iniurias omnes curæ esse decet. Nunc verò exul patria, domo, solus atque omnium honestarum rerum egēs, quos accidam? aut quos appellem? nationesne, an reges, qui omnes familiæ nostræ ob vestram amicitiam infesti sunt? an quòquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monimenta plurima sint? an quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremò Masinissa nos ita instituit, P. C. nequem coleremus nisi populum Rom. ne societates, ne fœdera noua acciperemus: abundè magna præsidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, vnà occidendum nobis esse. Virtute ac diis volentibus, magni & opulenti estis, omnia secūda & obediētia vobis sunt: quo facilius sociorū iniurias curare licet. Tantum illud vereor, nequos priuata amicitia Iugurthæ parum cognita transuersos agat, quos ego audio summa ope niti, ambire, fatigare vos singulos, nequid de absente incognita causa statuatis: fingere me verba, & fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod vtinam illum, cuius impio facinore in has miserias proiectus sum, eadem hæc simulantem videam: & aliquando aut apud vos aut apud deos immortales rerum humanarum cura oriatur: ut ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est, omnibus malis excruciat, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miserationum graues pœnas reddat. Iamiam, frater animo meo charissime, quanquam tibi immaturo, & vnde minimè decuit, vita erepta est, tamen lætandum magis quàm dolendum putato casum tuum. non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem, & omnes has quæ me premunt, ærumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix in tanta mala præcipitatus, pulsus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum præbeo: incertus quid agam, tuasne iniurias persequar, ipse auxilii egens: an regno consulam, cuius vitæ necisque potestas ex alienis opibus pendet. Vtinam emori, fortunis meis honestus exitus esset, ne viuere contemptus viderer, si defessus malis iniuriæ concessissem. Nunc quoniam neque viuere libet, neque mori licet sine dedecore, P. C. oro vos per liberos atque parentes vestros, per maiestatem populi Rom. subuenite mihi misero, ite obuiam iniuriæ, nolite pati regnum Numidiæ, quod vestrum est, per scelus & sanguinem familiæ nostræ tabescere.

ORATIO C. MEMMII AD QVIRITES, QVA EOS  
ad vindicandum in Iugurtham, qui Adherbalem necauerat, & in socios  
eius sceleris, hortatur.

SALVST. IN BELLO IUGURTH.

At C. Memmius inter dubitationem & moras Senatus, concionibus populum ad vindicandū hortari: monere ne Remp. ne libertatem suam defererent: multa superba & crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus, omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romæ Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existimaui vnā ex tam multis orationem eius perferbere. Ac potissimū eam dicam quam in concione post reditum Bæstie huiusmodi verbis differui,

**M**ulta me dehortantur à vobis Quirites, ni studium Reip. omnia superet, opes facti-  
onis, vestra patientia, ius nullum, ac maximè quòd innocentie plus periculi quàm  
honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis quindecim quàm ludibrio fueritis su-  
perbiæ paucorum, quàm fœdè quàmque multi perierint vestri defensores: ut vobis animus  
ab ignauia atque socordia corruptus sit, qui ne nunc quidem obnoxii inimicis exurgitis, at-  
que etiam nunc timetis eos quibus vos decet terrore esse. Sed quanquam hæc talia sunt, ta-

men obuiam ire factionis potentiae animus subegit. Certè ego libertatem, quae mihi à patre meo tradita est, experiar: verum id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm est, Quirites. Neque ego vos hortor (quod saepe maiores vestri fecere) uti contra iniurias armati eatis. nihil vi, nihil secessione opus est. necesse est suomet ipsi more praecipites eant. Occiso Tib. Graccho, quem regnum sibi parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones graues habitae sunt. Post C. Gracchi & M. Fuluii caedem, vestri item ordinis multi mortales in carcere necati sunt. Vtriusque cladis non lex verum libido eorum finem fecit. Sed sanè fuerit regni reparatio, plebi sua iura restituere, quicquid sine sanguine ciuium vlscisci nequit, iure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini aërium expilari: reges & populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere, penes eosdem & summam gloriam & maximas diuitias esse: tamen haec talia facinora impunè suscepisse, parum habuere. Itaque postremò leges, maiestas vestra, diuina & humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos qui ea fecere pudet aut poenitet: sed incedunt per ora vestra magnificè, sacerdotia & consulatus, pars triumphos suos ostentantes, perinde quasi ea honori non praedae habeant. Serui aëre parati, iniusta imperia dominorum non perferunt vos: Quirites in imperio nati, aequo animo seruitutem toleratis? At qui sunt hi qui Rempub. occupauere? homines sceleratissimi, cruentis manibus, immansi avaritia, nocentissimi, & iidem superbissimi: quibus fides, decus, pietas, postremò honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum occidisse Tribunos plebis, alii quaestiones iniustas, plerique caedem in vos fecisse, pro munimento habent. Itaque quàm quisque pessimè fecit, tam maximè tutus est: metum à scelere suo ad ignauiam vestram trāstulere: quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in vnum coegit. Sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quòd si tantam vos libertatis curam haberetis, quàm illi ad dominationem accensi sunt: profectò neque Respub. sicuti nunc, vastaretur, & beneficia vestra penes optimos, non audacissimos forent. Majores vestri, parandi iuris & maiestatis constituendae gratia, bis per secessionem armati Auentinum montem occupauere: vos pro libertate quam ab illis accepistis, nonne summa ope nitemini? atq; eo vehemētius, quo maius dedecus est, parta amittere, quàm omnino non parauisse? Dicit aliquis, Quid igitur censes? Vindicandum in eos qui hosti prodidit Rempub. nō manu, neque vi, (quod magis vos fecisse, quàm illis accidisse indignū est) verum quaestionibus & iudicio ipsius Iugurthae: qui si dedititius est, profectò iussis vestris obediens erit: sin ea cōtemnit, scilicet aestimabitis qualis illa pax aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentes maximae diuitiae, ad Rempub. damnata atque dedecora peruenerint. Nisi fortè dominationis eorum satietas nondum etiam vos tenet: & illa quàm haec tempora, magis placent, quum regna, prouinciae, leges, iura, iudicia, bella atque paces, postremò diuina & humana omnia penes paucos erāt: vos autem, hoc est populus Rom. inuicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere. Nam seruitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atq; ego tanetsi virum flagitiosissimum existimo impunè iniuriam accepisse, tamen vos sceleratissimis hominibus ignoscere, quoniam ciues sunt, aequo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset. Nam & illis, quantum importunitatis habent, parum est impunè male fecisse, nisi deinde faciūdi licentia eripiat: & vobis aeterna sollicitudo remanebit, quum intelligetis aut feruendum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem & concordiae quae spes est? Dominari illi volunt, vos liberi esse: facere illi iniurias, vos prohibere: postremò socii vestris, veluti hostibus, hostibus pro sociis vtuntur. Potestne in tam diuersis mentibus pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque vos ne tantū scelus impunitū omitteretis. Non peculatus aërii factus est, neq; per vim socii ereptae sunt pecuniae: (quae quanquam grauias sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur) hosti acerrimo prodita Senatus autoritas, proditum imperium vestrum est: domi militiaeque Respub. vanalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit reliquum, nisi ut illis qui ea fecere, obediens viuamus? NAM impunè quaelibet facere, id est regem esse. Neque ego vos Quirites hortor ut iam malis ciues vestros perperam quàm rectè fecisse: sed ne ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc, in Repub. multo praestat beneficii quàm maleficii immemorem esse. Bonus, tantūmodo segnior fit, vbi negligas: at malus, improbius. Ad hoc si iniuriae non sunt, haud saepe auxilii egeas.



ORATIO MARI AD QUIRITES, DE SE ET DE  
ea quam parabat in Africam expeditione.

## SALVST. IN BELLO IUGURTH.

Nam Marius, postquam, omnibus quæ postulauerat decretis, milites scribere vult, hortandi causa, simul & nobilitatem, ut consueuerat, exagitandi, cōcionem populi aduocauit: deinde hoc modo differuit,

**S**Cio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium à vobis petere, & postquam adepti sunt, gerere: primò industrios, supplices, modicos esse: deinde per ignauiam & superbiam ætatem agere. Sed mihi contrà videtur. nam quo vniuersa Respub. pluris est quàm Consulatus aut Prætura, eo maiore cura illam administrari quàm hæc peti debere. Neque me fallit quantum cum vestro maximo beneficio negotii sustineam. Bellum parare simul & ærario parcere: cogere ad militiã eos quos nolis offendere, domi forisq; omnia curare, & ea agere inter inuidos, occurfantes, factiosos, opinione Quirites asperius est. Ad hoc, aliis, si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum & affinium, opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitæ: quas necesse est virtute & innocentia tutari: nam alia infirma sunt. Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conuersa esse, & quos bonosque fauere, (quippe beneficia mea in Remp. procedunt) nobilitatem locum inuadendi me quærere. Quo mihi acrius adnitendum est ut neque vos capiamini, & illi frustra sint. Ita ad hoc ætatis à pueritia fui, ut omnes labores & pericula consueta habeã. Quæ ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deferam, non est consilium Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare qui per ambitionem sese probos simulauerunt: mihi, qui omnem ætatem in optimis artibus egi, bene facere iam ex consuetudine in naturam vertitur. Bellum me gerere cum Iugurtha assistis: quam rem nobilitas ægerrimè tulit. Quæso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit, ecquem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut aliud tale negotium mittatis hominem veteris prosapiæ ac multarum imaginum, & nullius stipendii: scilicet ut in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo sui officii monitorè. Ita plerunque euenit, ut quem vos imperare iussistis, is sibi imperatorem alium quærat. At ego scio, Quirites, qui postquam Consules facti sunt, acta maiorum & Græcorum militaria præcepta legere cœperunt: præposterii homines. nam legere quàm fieri tempore posterius, re atque vsu prius est. Comparete nunc, Quirites, me hominem nouum cum illorum superbia. Quæ illi audire & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi: quæ illi literis, ea ego militando didici. Nunc vos existimate, facta an dicta pluris sint. Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam: mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quanquã ego naturam vnã & communem omnium existimo: sed fortissimum quenque, generosum esse. Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiæ quæri posset, mène an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis? nisi sese liberos quamoptimos voluisse? Quod si iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Inuidet honoris meo: ergo inuideant labori, & innocentie, periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cepi. Verum homines corrupti superbia, ita ætatem agunt quasi vestros honores contemnunt: ita hos petunt quasi honestè vixerint. Næ illi falsi sunt qui diuersissimas res pariter expectant, ignauie voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam quum apud vos aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt, eorum fortia facta memorando clariores sese putant. quod contrà est. nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profectò ita se res habet: MAIORVM gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum neque mala in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites. Verum id quod multo præclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte quàm iniuri sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est: quã certè peperisse me, quàm acceptam corrupisse melius est. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abundè illis facundam & compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: nequis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem ex animi mei sententia, lædere nulla oratio potest: quippe vera, necesse est bene prædicet: falsam vita morisq; mei superant. Sed quoniam vestra cōsilia acrusantur, qui mihi summum honorem

& maximum negotium imposuistis: etiam atque etiam reputate num eorum poenitendū sit. Non possum, fidei causa, imagines neque triumphos aut Consulatus maiorum meorum ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, praeterea cicatrices aduerso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc mea nobilitas, non hæreditate relicta (ut illa illis) sed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæsiui. Non sunt composita verba mea: parui id facio: ipsa se virtus fatis ostendit. illis artificio opus est, ut turpia facta oratione tegant. Neque literas Græcas didici. parum placebat eas discere: quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerant. At illa multo optima Reipub. doctus sum, hostem ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam: hyemem & æstatem iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare. His ego præceptis milites hortabor: neque illos artem colam, me opulenter: neque gloriam meam labore illorum faciam. Hoc est vtile, hoc ciuile imperium. Nanque quum tu per mollitiem agas, exercitū supplicio cogere, id est dominum, non imperatorem esse. Hæc atque alia maiores vestri faciendo, seque & Rempub. celebrare. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum æmulos contemnit, & omnes honores non ex merito sed quasi debitos à vobis repetit. Cæterum homines superbissimi procul errant. Maiores eorum omnia quæ licebat, illis reliquere, diuitias, imagines, memoriam sui præclaram: virtutem non reliquere, neque poterant. EA sola neque datur dono neque accipitur. Sordidū me & incultis moribus aiunt: quia parum scite conuiuium exorno, neque histrionem vllum, neque plus pretii coquū quam villicum habeo. quæ mihi libet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo & ex aliis sanctis viris ita accepi, MUNDITIAS mulieribus, viris laborem conuenire: omnibusque bonis oportere plus gloriæ quam diuitiarum esse: arma, non suppellectilē, decori esse. Quin ergo, quod iuuat, quod charum æstimant, id semper faciant: ament, potent: vbi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conuiuuis, dediti ventri & turpissimæ parti corporis: sudorem, puluerem & alia talia relinquunt nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt. Verum non est ita. nam vbi se omnibus flagitiis dedecorauerunt turpissimi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita iniustissimè luxuria & ignauia, pessimæ artes, illis qui coluere eas, nihil officiant: Reipublicæ innoxia cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi: pauca de Repub. loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. nam quæ ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia remouistis, auaritiā, imperitiā atque superbiam: deinde exercitus ibi est, locorum sciens, sed mehercule magis strenuus quam felix. nam magna pars eius auaritia aut temeritate ducum attrita est. Quamobrem vos, quibus militaris est ætas, adnitimini mecum & capeffite Rempub. neque quenquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit. Ego met in agmine atque in prælio consultor idem, & socius periculi vobiscum adero: me vosque in omnibus rebus iuxta geram. Et profectò, diis iuuantibus, omnia matura sunt, victoria, præda, laus: quæ si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos Reipub. subuenire decebat. Etenim nemo ignauia immortalis factus est, neque omissam quam parens liberis, uti æterni forent optauit, magis uti boni honestique vitam exigeret. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent. nam strenuis abundè dicitur puto.

## ORATIO SYLLAE AD BOCCHVM REGEM.

### SALVST. IN BELLO IUGURTH.

Legati à Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petiuere, duos quæfidissimos ad eum mitteret: velle de suo & de populi Rom. commodo cum iis differere. Ille statim L. Syllam & A. Manlium ire iubet. Qui quanquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere: ut ingenium eius, aut aduersum flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sylla, cuius facundia non ætati à Manlio concessum est, pauca verba huiusmodi loquutus,

**R**ex Bocche, magna nobis est lætitia, quum te talem virum dii monuere uti aliquando pacem quam bellum malles: neu te optimum cum pessimo omnium Iugurtha miscendo commaculares: simul nobis ut demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem & illum sceleratissimum persequi. Ad hoc pop. Rom. iam à principio inopi, melius visum est amicos quam seruos, quærere: tutiusque rati volentibus quam coactis imperitare. Tibi verò nulla opportunior amicitia nostra: primum quòd procul absumus, in

quo offensa minimum est, gratia par ac si propè adessemus: dein, quòd parentes abundè habemus: AMICORVM neque nobis neque cuiquam hominum satis fuit. Atque hoc vtinam à principio tibi placuisset: profectò à pop. Rom. ad hoc tempus multo plura bona accepisses quàm mala perpeffus es. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit, cui scilicet placuit & vim & gratiam nostram te experiri: nunc quoniam per illam licet, festina, atque vti cœpisti perge. Multa atque opportuna habes: quòd facilius errata officis speres. Postremò hoc in pectus tuum dimitte, nunquam populum Rom. beneficiis victum esse. nam bello quid valeat, tute scis.

## ORATIO BOCCHI AD SYLLAM, QVA SVVM

erga illum studium exponit, & se bellum populo Rom. facere voluisse negat.

## SALVST. IN BELLO IUGURTH.

**N**Unquam ego ratus sum fore vti rex maximus in hac terra, & omnium quos nouit opulētissimus, priuato homini gratiam deberem. Et mehercule Sylla ante te cognitum, multis orantibus aliis vltro egomet opem tuli, nullius indigus. Id esse immutatum mihi, quod ceteri dolere solent, ego lætor. Fuerit mihi eguisse aliquando, pretium tuæ amicitiae, qua apud animum meum nihil charius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, postremò quicquid animo libet, sume, vtere: & quoad viues, nunquam tibi redditam gratiam putaueris, semper apud me integra erit. Denique nihil, me sciente, frustra volles. nam, vt ego existimo, REGEM armis quàm munificentia vinci, minus flagitiosum. Ceterum de Repub. vestra, cuius huc curator missus es, paucis accipe. Bellū ego pop. Rom. neque feci, neq; factum vnquam volui: fines meos aduersum armatos armistutus sum. Id promitto, quando vobis ita placet, gerite vti vultis cum Iugurtha bellum: ego flumen Mulcham, quod inter me & Micipsam fuit, nō egrediar, neque id intrare Iugurtham sinam. Præterea si quid mēque vobisque dignum petieris, haud repulsus abibis.

## ORATIO LEPIDI CONS. AD POP. ROM.

## EX LIBRIS HIST. SALVST.

**C**lementia & probitas vestra, Quirites, quibus per cæteras gentes maximi & clari estis, plurimum timoris mihi faciunt, aduersus tyrannidem L. Syllæ: ne aut ipsi, quæ non æstimatis, ea parum credendo de aliis, circumueniamini: præsertim quū illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet quàm si peior atque intestabilior metu vestro fuerit: quòd captiuus libertatis curam miseria eximat, aut, si prouideritis, in tutandis periculis magis quàm vlciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maximi nominis, non minus optimis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos seruitium suum mercede dant, & vtranque per iniuriam malunt, quàm optimo iure liberè agere. Præclara Brutorum atque AEmiliorum & Luctatorum proles, geniti ad ea quæ maiores virtute peperere, subuertenda. Nam quid à Pyrrho, Annibale, Philippoque & Antiocho defensum est aliud quàm libertas & suæ cuique sedes: neu cui, nisi legibus, pareremus? quæ cuncta sæuus iste Romulus, quasi ab externis rapta tenet: nō tot exercituum clade neque Coss. & aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus: sed rimum crudelior quum plerisque secundæ res in miserationem ex ira vertunt. Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in postfuturos composuit, queis prius iniuria quàm vita certa esset: prauissimèque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu grauioris seruitii à repetenda libertate terremini. Agendum atque obuiam eundum est, Quir. ne spolia vestra penes illos sint. Non prolatandum, neque votis paranda auxilia: nisi forte speratis per tædium iam aut pudorem tyrannidis, esse eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eò processit vt nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia retinendæ dominationis honesta æstimet. Itaque illa quies & otium cum libertate, quam multi probi potius quàm laborem cum honoribus capeffebant, nulla sunt. Hac tempestate seruiendum aut imperitandum: habendus metus est aut faciendus, Quirites. Nā quid vltra: quæve humana superant? aut diuina impolluta sunt? Populus Romanus paulo antè gentium modera: or, exutus imperio, gloria, iure, cogitandi inops, despectusque, ne seruilia

quidem alimenta reliqua habet. Sociorum & Latii magna vis ciuitate pro multis & egregiis factis à vobis data, per vnum prohibentur: & plebis innoxia patrias sedes occupauere pauci satellites mercedem scelerum: leges, iudicia, ærarium prouincia, reges, penes vnum. Denique necis ciuium & vitæ licentiam, simul humanas hostias vidistis, & sepulchra infecta sanguine ciuili. Estne iuris reliqui aliud quàm soluere iniuriam, aut mori per virtutem? Quoniam quidem vnum omnibus finem natura vel ferro septis statuit: neque quisquam extremam necessitatem, nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat. Verùm ego seditionis, vti Sylla ait, qui præmia turbarum quæro: & bellum cupiens, quia iura pacis repeto scilicet. Quia non aliter salui satisque tuti in imperio eritis, nisi Vetus Picens & scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint: nisi approbaueritis omnes proscriptiones innoxiorum ob diuitias, cruciatus virorum illustrium, vastatam urbem fuga & cædibus, bona ciuium miserorum, quasi Cimbricam prædam, vnum aut dono datam. At obiecit mihi possessiones ex bonis proscriptorum: quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me neque quenquam omnium satis tutum fuisse, si rectè faceremus. Atqui illa quanta formidine mercatus sum, pretio soluto, iure dominis tamen restituito: neque pati consilium est, vllam ex ciuibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ rabie contracta tolerauimus, manus conferentes inter se Romanos exercitus, & arma ab externis in nosmet versa. Scelerum & contumeliarum omnium finis sit: quorum adeo Syllam non poenitet, vt & facta in gloria numeret: & si liceat, auidius faceret. Neque iam quid existimetis de illo, sed quærit vos audeatis, vereor: ne alius alium principem expectantes antè capiamini, non opibus eius, quæ futiles & corruptæ sunt, sed vestra socordia, quam raptum iri licet, & quàm audeat tam videri felicem. Nam præter satellites commaculatos quis eadem vult: aut quis non omnia mutata, præter victoriam: scilicet milites, quorum sanguine Tarulæ Scyròque pessimis seruorum diuitiæ partæ sunt: an quibus prælatus in magistratibus capiendis Fusidius, ancilla turpis, & bonorum omnium dehonestamentum? Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera & labores nihil, præter tyrannum, quæsitum est. nisi fortè Tribunitiam potestatem euersum profecti sunt, per arma cõditam à maioribus suis: vtique iura & iudicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, quum relegati in paludes & syluas, in contumeliã atque inuidiam suam præmia penes paucos intelligerent. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? Q V I A secundæ res mirè sunt vitii obtentui: quibus labefactatis, quàm formidatus antea est, tam contemnetur: nisi fortè specie concordia & pacis, quæ sceleri & parricidio suo nomina indidit. Neque aliter R. P. esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebs, præda ciuilis acerbissima, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod pop. Rom. fuit. Quæ si vobis pax & concordia intelliguntur, maxima turbamenta Reipub. atque exitia probate: annuite legibus impositis, accipite otium cum seruitio, & tradite exemplum posteris ad populum Rom. suimet sanguinis mercede circumueniendum. Mihi quanquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat, nomini maiorum, dignitati atque etiam præsidio: tamen non fuit consilium priuatas opes facere: potiùsq; visa est periculosa libertas quieto seruitio. Quæ si probatis, adeste Quirites: & bene iuuantibus diis, M. A. Emilius Consulem, ducem & authorem sequimini, ad recipiendam libertatem.

## ORATIO PHILIPPI IN SENATV.

EX IISDEM LIBRIS SALVST.

**M**Aximè vellem, P. C. Reipub. quietam esse, aut in periculis à promptissimo quoque defendi: denique praua incepta consultoribus noxæ esse: sed contrà, seditionibus omnia turbata sunt, & ab iis quos prohibere magis decebat. Postremò, quæ pessimi & stultissimi decreuere, ea à bonis & sapientibus facienda sunt. Nam bellum atque arma quanquam vobis inuisa, tamen quia Lepido placent, sumenda sunt: nisi fortè cui pacem præstare & bellum pati consilium est. Prò dii boni, qui hanc urbem omiſsa cura adhuc regitis, M. A. Emilius omnium flagitiosorum postremus, qui peior, an ignauior sit, deliberari non potest, exercitum opprimendæ libertatis habet, & se è contempto metuendum efficit. Vos mussantes & retractantes, verbis & vatum carminibus pacem optatis magis quàm defenditis: neque intelligitis, mollitia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi: atque id iure,

ad iure, quoniam ex rapinis Consulatum, ob seditionem prouinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset, cuius sceleribus tanta præmia tribuistis? At scilicet eis qui ad postremum vsque legatos, pacem, concordiam, & alia huiusmodi decreuerunt, gratiam habeo peperisse. Imò despecti, & indigni Rep. habiti, prædæ loco æstimantur: quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem à principio quò Hetruriam cõcurrere, proscriptos accersiri, largitionibus Rempub. lacerari videbam, maturandum putabam, & Catuli consilia cum paucis sequutus sum: Cæterum illi qui gentis AEmiliæ benefacta extollebant, & ignoscendo pop. Rom. magnitudinem auxisse, nusquam etiam tum Lepidum progressum aiebant, & quum priuata arma opprimendæ libertatis cepisset: sibi quisque opes, aut patrocina quærendo, consilium publicum corruerunt. Attamen erat Lepidus latro cum calonibus & paucis sicariis, quorum nemo diurna mercede vitam mutauerit: nunc est Proconsul, cum imperio non empto sed dato à vobis, cum legatis adhuc iure parentibus. Et ad eum cõcurrere homines omnium ordinum corruptissimi, flagrant inopia & cupiditatibus, scelerum conscientia exagitati: quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt: hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt: Saturnini olim, post Sulpitii, dein Marii, Damasippique, nunc Lepidi satellites. Præterea Hetruria atque omnes reliquæ belli arrectæ, Hispaniæ armis sollicitatæ, Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit: quin præter idoneum ducem, nihil abest ad subuertendum imperium. Quod vos oro atque obsecro P. C. vt animaduertatis ne patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros procedere. NAM vbi malos præmia sequuntur, haud facillè quisquam gratuitò bonus est. An expectatis dum exercitu rursus admoto, ferro atque flamma vberim inuadat? quod multo propius est ab eo quo agitat statu, quàm ex pace & concordia ad arma ciuilia, quæ ille aduersum diuina & humana omnia cepit, non pro sua aut quorum simulat iniuria, sed legum ac libertatis subuertendæ. Angitur enim ac laceratur animi cupidine, & noxarum metu, expers consilii, inquires. hæc atque illa tentans, metuit otium, odit bellum: luxu atque licentia carendum videt: atque interim abutitur vestra secordia. Neque mihi satis consilii est, metum, an ignauiam, an dementiam eam appellem: qui videmini intenta mala, quasi fulmen, optare se quisque ne attingat, sed prohibere, ne conari quidem. Et quæso considerate quàm conuersa rerum natura sit. Antea malum publicum occultè, auxilia palam instruebantur, & eo boni malos facillè anteibant: nunc pax & concordia disturbantur palam, defenduntur occultè: quibus illa placent, in armis sunt, vos in metu. Quid expectatis? nisi fortè pudet aut piget rectè facere? An Lepidi mandata animos mouent? qui placere ait, sua cuique reddi, & aliena tenet? belli iura rescindi, quum ipse armis cogat? ciuitatem confirmari, qui ademptam negat? concordie gratia tribunitiam potestatem restitui, ex qua omnes discordiæ accensæ? Pessime omnium atque impudentissime, tibi ne egestas ciuium & luctus curæ sunt, cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam? Alterum Consulatum petis, quasi primum reddideris: bello concordiam quæris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis inuidus, hostis omnium bonorum: vt te neque deorum neque deorum pudeat, quos perfidia aut periurio violasti. Qui quando talis es, maneat in sententia, & retineas arma, te hortor: neu prolatandis seditionibus inquires ipse, nos in sollicitudine retineas. Neque te prouinciæ, neque leges, neque dii penates eueniunt patiuntur. Perge qua cœpisti, vt quammaturissimè merita inuenias. Vos autem P. C. quousque cunctando Rempub. intutam patiemini, & verbis arma tentabitis? Delectus aduersum vos habiti: pecuniæ publicè & priuatim extortæ: præsidia deducta, atque imposta: ex libidine leges imperantur: quum interim vos legatos & decreta paratis. & quato mehercule auidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit: quum intelliget se metu magis quàm æquo & bono sustentatum. nam qui turbas & cædem ciuium odisse ait, & ob id armato Lepido vos inermes retinet, quæ victis toleranda sunt, ea quum facere possitis, patiamini potius censet: ita illi à vobis pacem, vobis ab illo bellum suadent. Hæc, si placent, si tanta torpedo animos oppressit, vt obliuisci scelerum Cinnæ, (cuius in urbem reditu decus atque ordines omnes interierunt) nihilominus vos, atque coniuges, & liberos Lepido permissuri sitis: quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is & alii boni Remp. frustra curant. Agite vt libet, parate vobis Cethegos, atque alia proditorum patrocina, qui rapinas & incendia instaurare cupiunt, & rursus aduersum deos penates manus armare.

Sin libertas & bella magis placent, decernite digna nomine, & augete ingenium viris fortibus. Adest nouus exercitus, & ad hoc colonia veterum militum, nobilitas omnis, duces optimi. FORTUNA meliores sequitur. Iam illa quæ secordia nostra collecta sunt, dilabentur. Quare ita censeo, quoniam Lepidus exercitum priuato consilio paratum cum pessimis & hostibus Reip. cōtra huius ordinis auctoritatē, ad urbem ducit: vti Ap. Claudius interrex cum Q. Catulo Proconsule & cæteris, quibus imperium est, vrbi præsidio sint speramque dent nequid Resp. detrimenti capiat.

ORATIO C. COTTAE CONSVLIS  
ad populum.

EX IISDEM LIBRIS HIST. SALVSTII.

**Q**uirites, multa mihi pericula domi, militiae, multa aduersa fuere: quorum alia toleraui, partim repuli deorum auxiliis, & virtute mea: inque his omnibus, neque animus negotio defuit, neque decretis labos. Mala secūdaque res opes non ingenium mihi mutabant: at contrā, in his miseriis cuncta tunc cum fortuna deseruere. Præterea fenestus per se grauis curam duplicat, cui misero acta iam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet: nā si parricida vestri sum, & bis genitus hic, deos penates meos, patriamque, & summum imperium vilia habeo. quis mihi viuo cruciatus fatis est, aut quæ peccata mortuo, quū omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici? A prima adoleſcentia in ore vestro priuatus, & in magistratibus egi: qui lingua, qui cōsilio meo, qui pecunia voluerunt, vsi sunt: neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malè faciendum exercui: auidissimus priuatæ gratiæ, maximas inimicitias pro Repub. suscepi: qui victus cum inimicis simul, quum egens alienæ opis plura mala expectarem, vos Quirites rursus mihi patriam, deos penates cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix fatis gratus videtur, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. NAM vita & mors iure naturæ sunt: vt sine dedecore cum ciuibus fama & fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissima Repub. Nanque imperatores Hispaniæ stipendium, milites arma, frumentum poscunt: & id res cogit: quoniam defectioe sociorū, & Sertorii per mōtes fuga, neq; manu certare possunt, neq; vilia parare: exercitus in Asia Ciliciæque ob nimias opes Mithridatis aluntur: Macedonia plena hostiū est: nec minus Italiæ maritima & prouinciarum: quum interim vectigalia parua, & bellis incerta, vix partem sumptuum sustinēt: ita classe, qua cōmeatus vehebatur, minore quàm antea nauigamus. Hæc si dolo aut secordia nostra contracta sunt, agite vt libet, & ita supplicium sumite: sin fortuna cōmunis asperior est, quare indigna vobis nobisque & Reip. incipitis? Atque ego, cuius ætati mors propior est, non deprecor, siquid ea vobis incommo- di demitur: neque mox ingenuo corpori honestius, quàm pro vestra salute, finem vitæ fecerim. Adsum, en C. Cotta Cōsul, facio quod sæpe maiores asperis bellis fecere: voueo, dedoque me pro Repub. quam deinde cui mandetis, circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quū fortunæ, & pacis, & belli ab aliis acti ratio reddēda, aut turpiter moriēdum sit. Tantum modo in animis habetote, non me ob scelus aut auaritiam cæsum, neque vellentem pro maximis beneficiis animam dono dedisse. Per vos igitur Quir. & gloriam maiorum precor, tolerate aduersa & consulite Reipub. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores, quos nequicquam abnuitis & pacis opulētiam quæritis: quum omnes prouinciæ, regna, maria, terræque aspera aut fessa bellis sint.

ORATIO MARCI TRIB. PL.  
ad plebem.

EX IISDEM LIB. HIST. SAL.

**S**I Quirites parum existimaretis quid inter ius à maioribus relictum vobis & hoc à Sylla paratum seruitium interesset, multis mihi differendum fuisset, docendūque quas ob iniurias & quoties à patribus armata plebs secessisset, vtique vindices parauisset omnis iuris sui tribunus plebis. Nunc hortari modò reliquum est, & ire primū via qua capessendam arbitror libertatem. Neque me præterit quantas opes nobilitatis solus impotens in ani specie magistratus pellere dominatione incipiam: quantoque tutius factio noxiorum agar quàm soli innocente. Sed præter spem bonam ex vobis, quæ metū vicit,

statui certaminis aduersa pro libertate potiora esse forti viro, quàm omnino nõ certauisse. Quamquam omnes alii creati pro iure vestro vim cunctam & imperia sua, gratia, aut spe aut præmiis in vos conuertere, meliùsque habent mercede delinquere quàm gratis rectè facere. Itaque omnes concessere iam in paucorù dominationem, qui per militare nomen ærarium, exercitus, regna, prouincias occupauere, & arcem habent ex spoliis vestris: quum interim more pecorù vos multitudo singulis habèdos fruendòsque præbetis, exuti omnib⁹ quæ maiores reliquere: nisi quia vosmetipsi per suffragia, vt præsidēs olim, nũc dominos deficiatis. Itaque concessere illuc omnes: & mox, si vestra receperitis, ad vos redibũt plerique. RARI S enim animus est ad ea quæ placèt, defendenda: cætera validiorum sunt. An dubium habetis, ne officere quid vobis vno animo pergentibus possit, quos languidos fecordèsque pertimere: nisi fortè C. Cotta ex factione media C O S. aliter quàm metu iura quædam T R. P L. restituit. Et quamquam L. Cincius primus de potestate T R. loqui ausus, mussantibus vobis circumuentus erat: tamen prius illi inuidiam metuere quàm vos iniuriæ pertæsum est. quod ego nequeo satis mirari Quirites. Nam spem frustra fuisse intellexistis. Sylla mortuo, qui scelestum imposuerat seruitium, finem mali credebatis: ortus est lògè sæuior Catulus, tumultus intercessit Bruto & AEmylio Mamercò C O S S. Dein C. Curio ad exitium vsque infontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis: quantæ denique nunc mihi turbæ concitentur. Quæ profectò incassum agerentur, si prius quàm vos seruièdi finem, illi dominationis facturi er: c: præsertim quũ his ciuilibus armis dicta alia, sed certatum vtrinque de dominatione in vobis sit. Itaque cætera ex licentia, aut odio aut auaritia in tempus arserè: permanfit vna res modò, quæ vtrinque quæsitæ est, & erepta in posterum, vis tribunitia, telum à maioribus libertati paratum. Quod ego vos moneo quæloque vt animaduertatis: neu nomina rerum ad ignauiam mutantès, otium pro seruitio appelletis: quo iam ipso frui, si vera & honesta flagitium superauerint, nõ est conditio: fuisset, si omnino quiesceris. Nunc animũ aduertite, & nisi viceritis, quoniam omnis iniuria grauitate tutior est, arctius habebunt. Quid censet igitur: aliquis vestrũ subiecerit. Primum omnium omittendum morem hunc, quem agitis, impigræ linguæ, animi ignaui, non vltra concionis locum memores libertatis: deinde ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei modo patritiũ magistratum. Libera ab authoribus patritiis suffragia maiores vestri parauere, quãuis Quir. in vobis sit, vt quæ iussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certè possitis. Iouem aut alium quem deum, consultorem expectatis: magna illa consulum imperia & patrum decreta vos exequendo rata efficitis, Quir. vltroque licentiam in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos vltum iniurias hortor, magis vti requiem cupiatis, neque discordias, vt illi criminantur: sed earum finem volens, iure gentium res repeto: &, si pertinaciter retinebũt, non arma neque secessionem tãtummodo, sed nec amplius sanguinem vestrum præbeatis censeo. gerant habeantque suo modo imperia, quærant triumphos: Mithridatem, Sertorium & reliquias exulum persequantur cum imaginibus suis: absit periculum & labor quibus nulla pars fructus est, nisi fortè repentina ista frumẽtaria lege munia vestra pensantur: quum tamen qui his modis libertatem omnium æstimauere, hi profectò non amplius possunt alimentis carere. nanque utilis exiguitate mors prohibetur. Senescunt vires, sic vt neque absolui cura familiari tam parua res possit. At & ignauissimi quique tenuissima spe frustrantur, quæ tamen quanuis ampla, quoniam seruitii pretium ostentarunt, cuius torpedinis erat decipi, & vestrarum rerum vltro iniuria gratiam debere: Nanque alio modo neque valent in vniuersos, neque conabuntur. Cauendus tamen dolus est. Itaque simul comparant delinimenta, & differunt vos in aduentum Cn. Pomp. quem ipsum, vbi pertimere sublatum in ceruices suas, mox dempto metu lacerant: neque eos pudet vindices, vti se ferunt, libertatis, tot viros sine vno, aut remittere iniuriam non audere, aut ius non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium tantæ gloriæ adolescentem malle principem volentibus vobis esse quàm illis dominationis & socium: authorẽmque in primis fore tribunitiæ potestatis. Verũm, Quirit. antea singuli ciues in pluribus non in vno cuncti præsidia habebatis, neque mortaliũ quisquam dare, aut eripere talia vnus poterat. Itaque verborum satis dictum est. neque enim ignorantia res claudit: Verũm occupauit nescio quæ vos torpedo: quia neq; gloria mouemini neque flagitio: cũctaq; præsentì ignauia mutastis: abudẽ libertatẽ rati, quia

tergis abstinetur: & huc ire licet atque illuc munere ditium dominorum. Atque hæc eadem non sunt agrestibus, sed cæduntur inter potentium inimicitias, donoque dantur in provinciis magistratibus. Ita pugnatur & vincitur à paucis plebs, quodcumque accidit, pro victa est, & in dies magis erit: si quidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiueritis libertatem.

ORATIO AD C. CAESAREM DE REPUBLICA ORDINANDA.

EX IISDEM LIBRIS SALVSTI.

**P**opulus Rom. antea obtinebat regna atque imperia, fortunam dono dare, item alia illa quæ per mortales avidè cupiuntur: quia & apud indignos sæpe erant, quasi per libidinem data, neque cuiquam incorrupta permanferant. Sed res docuit id verum esse quod in carminibus Appius ait, fabrum esse quenque fortunæ: atque in te maximè, qui tantum alios prætergressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciendo. Cæterum ut fabricata, sic virtute parta, quam magna industria haberi decet, ne incuria deformetur, aut corrumpant infirmata. Nemo enim alteri imperium volens concedit: & quanuis novus atque clemens sit qui plus potest, tamen quia malo esse licet, formidatur. Id evenit quia plerique rerum potentes perverſe consulunt: & eo se munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet, quum ipse bonus atque strenuus sis, uti quam optimis imperites. Nam pessimus quisque asperrime victorem patitur. Sed tibi hoc grauius est quam antè, omnibus te armis parta componere. Bellum aliorum pace mollius gessisti: ad hoc victores prædam petunt, victi ciues sunt. Inter has difficultates euadendum est tibi, atque in posterum firmanda Respub. non armis modo, neque aduersum hostes: sed, quod multo maius multoque asperius est, bonis pacis artibus. Ergo omnes magna mediocrique sapientia res huc vocat, quæ quisque optima potest, uti dicat. Ac mihi sic videtur, qualicumque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura. Sed iam quò melius faciliusque constituas, paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit imperator cum homine claro, magnis opibus, auido potentia, maiore fortuna quam sapientia: quæ sequuti sunt pauci, per suam iniuriam tibi inimici, item quos infinitas aut alia necessitudo traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam, neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. Cætera multitudo vulgi more magis quam iudicio post alium alium quasi prudentiorem sequuti. Per idem tempus maledictis iniquorum occupanda Reipub. in spem adducti homines, quibus omnia probro ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua: & aperte quietis mortem, rapinas, postremo omnia quæ corruptus animus iubebat, minitari. Ex quibus magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te ciuibus, sicuti hostibus, uti vident, defluxere. Pauci resistere, quibus maius otium in castris quam Romæ futurum erat: tanta vis creditorum impendebat. Sed ob easdem causas immane dictum est quanti & quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoque per omne tempus belli, quasi sacro atque in spoliato fano, debitores vsi. Igitur quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est, hoc uti ciuiler deponas, illa uti quam iustissima & diuturna sit: de teipso primum, quia compositurus es, quod optimum factum est existima. Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror: neque quenquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat. eam vitam bellum æternum & anceps gerere: quoniam neque aduersus neque ab tergo, aut lateribus tutus sis, semper in periculo aut metu agite. Contra, qui benignitate & clementia imperium temperauere, his læta & candida omnia visa, etiam hostes æquiores quam alii ciues. An qui me his dictis corruptorem victoriae tuæ, nimisque in victos bona voluntate prædicent: scilicet quod ea quæ externis nationibus natura hostibus, nosque maiorisque nostri sæpe tribuere, ea ciuibus data arbitror: neque barbaro ritu cæde cædem, & sanguine sanguinem expiandum. An illa quæ paulo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamque Syllanam increpabantur, obliuio abstulit? Interfecit Domitium, Carbonem, Brutum, alios item non armatos neque in prælio belli iure, sed postea supplices per summum scelus interfectos: plebem Romanam in villa publica pecoris modo conscissam. Heu quam illa occulta ciuium funera & repentinae cædes in parentum aut liberorum sanguinem, fuga mulierum & puerorum, vastatio domorum. Ante



partam à te victoriam omnia fœua atque crudelia erant. ad quæ te illi iidem ho; tantur: & scilicet id certatum esse, vtriusque vestrûm arbitrio iniuriæ vt fierent: neque receptam sed captam à te Rempub. & ea causâ exercitus stipendiis confectis optimos & veterimos omnium, aduersum fratres parentésque, alii liberos, armis contendere: vt ex alienis malis deterrimi mortales ventri atque profundæ libidini sumptus quærent: atque essent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te præterire puto, quali quisque eorum more aut modestia, etiamtum dubia victoria sese gesserit: quòque modo in belli administratione scorta aut conuiuia exercuerint nonnulli, quorum ætas ne per otium quidẽ tales voluptates sine dedecore attigerit. De bello satis dictum. De pace firmanda, quoniam túque & omnes tui agitatis, primùm id quæso considera, quale id sit de quo consultas: ita bonis malisque dimotis, patenti via ad verum perges. Ego sic existimo, quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate vrbi Romanæ fatum excidii aduentarit, ciues cum ciuibus manus cõferturos, ita defessos & exâgues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum neque cunctæ gentes conglobatæ mouere aut contundere queunt hoc imperiû. Firmanda igitur sunt & concordia bona, & discordia mala expellenda. Id ita eueniet, si sumptuum & rapinarum licentiam dempseris: non ad vetera instituta reuocans, quæ iam pridem corruptis moribus ludibrio sunt: sed si suam cuique rem familiarem & finem sumptuum statueris. Quoniam is incessit mos, vt homines adolescentuli sua atque aliena consumere, nihil libidini atque aliis rogantibus denegare pulcherrimum putent: eam virtutem & magnitudinem animi, pudorem atque modestiam pro secordia æstiment: ergo animus ferox praua via ingressus, vbi consuetæ non suppetût, fertur accensus in socios modò, modò in ciues: mouet composita, & res nouas veteribus acquirit. Quare tollendus fœnerator in posterum, vti suas quisque res curemus. Ea vera atque simplex via est, magistratum populo, non creditori gerere: & magnitudinem animi in addendo, non demendo Reipub. ostendere. Atque ego scio quàm aspera hæc res in principio futura sit, præsertim iis qui se in victoria licentius liberiúsque, quàm arctius futuros credebant: quorum si saluti potius quàm libidini consules, illósque nósque & socios in pace firma constitues. Si eadem studia artésque iuuentuti erunt, nã ista egregia tua fama simul cum vrbe Roma breui concidet. Postremò sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. Nisi illam firmam efficis, vinci, an vicisse quid retulit? Quare capeffe per deos Rempub. & omnia aspera, vt i soles peruade. Nanque aut tu mederi potes, aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam te ad crudeles pœnas aut acerba iudicia inuocat, quibus ciuitas vastatur magis quàm corrigitur: sed vt prauas artes malâque libidines ab iuuentute prohibeas. Ea vera clementia erit, consuluisse ne immeritò ciues patria expellerentur, retinuisse ab stultitia & falsis voluptatibus: pacem concordiamque stabiliuisse: non, si flagitiis obsequutus, delicta perpeffus, præsens gaudium cum mox futuro malo concesseris. Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maximè erectus est, negotii magnitudine: & quia tibi terræ & maria simul omnia componenda sunt (quippe res paruas tantum ingenium attingere nequit) magnæ curæ magna merces est. Igitur provideas oportet vt plebs largitionibus & publico frumento corrupta, habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: iuuentus probitati & industriæ, non sumptibus, neque diuitiis studeat. Id ita eueniet si pecuniæ, quæ maxima omnium perniciēs est, vsum atque decus dempseris. Nam sæpe ego cum animo meo reputans quibus quisque rebus clarissimi viri magnitudinẽ inuenissent, quæ res populos nationésve magnis authoribus auferrent, ac deinde quibus causis amplissima regna & imperia corruissent: eadem semper bona atque mala reperiẽbam, omnesque victores diuitias contempserunt & victos cupiuisse. Neque aliter quisquam extollere sese & diuina mortalis attingere potest, nisi ommissis pecuniæ & corporis gaudiis, animo indulgens, non assentando, neque concupita præbendo, peruersam gratiã gratificans: sed in labore, paciẽtia, bonisq; præceptis, & factis fortibus exercitando. N A M domum aut villã extruere, eamque signis, aulæis aliisque operibus exornare, & omnia potius quàm semet visendum efficere, id est non diuitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. Porrò ii quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est, vbi animum, quem dominari decebat, seruitio oppressere, nequaquam eo postea hebeti atque claudo pro exercitio vti volunt. Nam imprudentia pleraque & te præcipitant. Verum hæc & omnia mala pariter cum honore pecuniæ desinent, si neque

magistratus neque alia vulgò cupienda venalia erunt. Ad hoc prouidendum est quònam modo Italia atque prouinciæ tutiores sint: id quod factu haud obscurum est. Nam iidem omnia vastant, suas deferendo domos, & per iniuriam alienas occupando. Item ne, vti adhuc, militia iniusta aut inæqualis sit: quum alii triginta, pars nullum stipendium faciet: & frumentum id quod antea præmium ignauitæ fuit, per municipia & colonias illis dare cõueniet, quum stipendiis emeritis domos reuerterint. Quæ Reipub. necessaria, tibi que gloriosa ratus sum, quam paucissimis absolui. Non peius videtur pauca nunc de facto meo differere. Plerique mortales ad iudicandum satis ingenii habent, aut simulant: veruntamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta ardet omnibus animus. Vix satis apertum os aut lingua prompta videtur, quæ dicta pectore euoluat: quibus me subiectum haud poenitet, magis reticuisse pigeret. Nam siue hac seu meliore alia via perges, à me quidem pro virili parte dictum & adiutum fuerit. Reliquum est optare, vti quæ tibi placuerint, ea diu immortales approbent benè que euenire sinant.

ORATIO ALIA AD C. CAESAREM DE RE-  
publica ordinanda.

EX IISDEM LIBRIS HIST. SALVSTII.

**S**Cio ego quàm difficile atque asperum factu sit, consilium dare regi aut imperatori, postremò cuiquam mortali, cuius opes in excelso sunt: quippe quum & illis consilia, copia adsint, neque de futuro quisquam satis callidus satisque prudens sit. Quinetiam saepe praua magis quàm bona consilia prosperè eueniunt: quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat. Sed mihi studium fuit adolescentulo Rempub. capessere: atque in ea, cogens scèda multam magnamque curam habui, non ita vt magistratum modò caperem, quem multi malis artibus adepti erant: sed etiam vt Rempub. domi militiaeque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitum habuerim. Itaque mihi multa cum animo agitantis consilium fuit, famam modestiamque meam post tuam dignitatem habere: & cuius rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloria accederet. Idque non temere aut ex fortuna tua decreui: sed quia in te præter cæteras, artem vnam egregiè mirabilem comperi, semper tibi maiorem in aduersis quàm in secundis rebus animum esse. Sed per cæteros mortales illa res clarior est, quòd & prius defessi sunt homines laudando atque admirando magnificentiam tuam, quàm tu faciendo quæ gloria digna essent. Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit. Neque ego, quæ visa sunt, de Repub. tibi scripsi, quia mihi consilium atque ingenium meum amplius æquo probaretur: sed inter labores militiae interque prælia, victorias, imperium, statui admonendum te de negotiis vrbis. nanque tibi, si id modò in pectore consilii est vt te ab inimicorum impetu vindices, quòque modo contra aduersum Consulem beneficia populi retineas, indigna virtute tua cogites: sin in te ille animus est qui iam à principio nobilitatis factionem disturbauit, plebem Romanam ex graui seruitute in libertatem restituit, in prætura inimicorum arma inermis disiecit, domi militiaeque tanta & tam præclara facinora fecit vt ne inimici quidem queri quicquam audeant nisi de magnitudine tua: quin accipe tu ea quæ dicam de summa Reipublica: quæ profectò aut tu vera inuenies, aut certè haud procul à vero. Sed quoniam Cn. Pomp. aut animi prauitate, aut quia nihil maluit Rempublicam conturbauit, eisdem tibi restituenda est. Primùm omnium summam potestatem moderandi, de vectigalibus, sumptibus, iudiciis, Senatoribus paucis tradidit plebs Romana, cuius antea summa potestas erat: neque his quidem legibus in seruitute reliquit iudicia, tametsi sicut antea tribus ordinibus tradita sunt: tamen iidem illi factiosi regunt, dant, adimunt quæ lubet: innocentes circumueniunt, suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum, aut flagitium obstat quominus magistratus capiant: quod commodum est trahunt, rapiunt: postremò tanquam vrbe capta, libidine ac licentia sua pro legibus vtuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam more suo per seruitium exercerent: sed homines inertissimi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est, forte atque alterius seçordia dominationem oblatam insolentes agitant. Nam qua se ditio aut dissensio ciuilis tot tamque illustres familias ab stirpe euertit: aut quorum

vnquam victoria animus tam præceps tamque immoderatus fuit? L. Sylla, cum omnia in  
 victoria lege belli licuerunt, tamen à Sulpitio hostium partes muniri intelligebat, tamen  
 paucis interfectis, cæteros beneficio quàm metu retinere maluit. At Hercule nunc cum  
 Catone, L. Domitio, cæterisque eiusdem factionis, quadraginta Senatores, multi præterea  
 cum spe bona adolescentes, sicuti hostiæ mactati sunt: quum interea importunissima ge-  
 nera hominum tot miserorum ciuium sanguine satiari nequuerint: non orbi liberi, non  
 parentes exacta ætate, non gemitus virorum, luctus mulierum immanem eorum ani-  
 mum inflexit: quin acerbius in dies malè faciendo ac dicendo dignitate alios, alios ciuita-  
 te euersum irent. Nam quid ego de te dicam, cuius contumeliam homines ignauissimi  
 vita sua commutare volunt? Scilicet neque illis tantæ voluptati est (tamen in sperantibus  
 accidit) dominatio, quanto mœrori tua dignitas: qui optatius habent ex tua calamitate pe-  
 riculum libertatis facere quàm per te pop. Rom. imperium maximum ex magno fieri.  
 Quo magis tibi etiam atque etiam animo prospiciendum est quoniam modo rem stabili-  
 tatis communiâque: mihi quidem quæ mens suppetit, eloqui non dubitabo. Cæterum tui  
 erit ingenii probare quæ vera atque vtilia factu putes. In duas partes ego ciuitatem diui-  
 sam arbitror, sicut à maioribus accepi, in patres & plebem. Antea in patribus summa au-  
 thoritas erat, vis multo maxima in plebe. Itaque sæpius in ciuitate secessio fuit: semperque  
 nobilitatis opes diminutæ sunt, & ius populi amplificatum. Sed plebs eò liberè agitabat  
 quia nullius potentia super leges erat: neque diuitiis aut superbia, sed bona fama factisque  
 nobilis ignobilem anteibat: humillimus quisque in armis aut militia, nullius ho-  
 nestæ rei egês, satis sibi satisque patriæ erat. Sed vbi eos paulatim expulsos agris, inertia atque  
 inopia incertas domos habere subegit, cæpere alienas opes petere, libertatem suam cum  
 Reipub. venalem habere. Ita paulatim populus, qui dominus erat, & cunctis gentibus im-  
 peritabat, dilapsus est: & pro communi imperio, priuatim sibi quisque seruitutem peperit.  
 Hæc igitur multitudo primùm malis moribus imbuta, deinde in artes vitasque varias dis-  
 palata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capeffen-  
 dam Reipub. Cæterum additis nouis ciuibus, magna me spes tenet fore vt omnes ex-  
 pergiscantur ad libertatem: quippe cum illis libertatis retinendæ, tum his seruitutis amit-  
 tendæ cura orietur. Hos ego censeo permistos cum veteribus nouos in coloniis constituas.  
 Ita & res militaris opulentior erit, & plebs bonis negotiis impedita, malum publicum face-  
 re desinet. Sed non inscius neque imprudens sum, quum ea res agetur, quæ sæuitia, quæ-  
 ve tempestates hominum nobilium futuræ sint, quum indignabuntur omnia funditus  
 misceri, antiquis ciuibus hanc seruitutem imponi: regnum denique ex libera ciuitate futu-  
 rum, vbi vnus munere multitudo ingens in ciuitatem peruenerit. Equidem ego sic apud  
 animum meum statuo, malum facinus in se admittere, qui incommodo Reipublicæ  
 gratiam sibi conciliet. Vbi bonum publicum, etiam priuatim vsui est: id verò dubitare ag-  
 gredi, secordiæ atque ignauitæ duco. M. Liuius Drusus semper consilium fuit, in Tribunatu  
 summa ope niti pro nobilitate: neque vllam rem in principio agere intendit nisi illi autho-  
 res fierent homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide chariora erant. Vbi intellexe-  
 runt, per vnum hominem maximum beneficium multis mortalibus dari, videlicet & si-  
 bi quisque conscius malo atque infido animo esse, de M. Liuius Druso iuxta ac de se exi-  
 stimarunt. itaque metu ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eam nixi, sua  
 ipsius consilia disturbauerunt. Quò tibi imperator maiore cura fidèque amici & multa  
 præsidia paranda sunt. Hostem aduersum deprimere strenuo homini haud difficile est: oc-  
 culta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promptu est. Igitur vbi eos in ciuitatem  
 adduxeris, quoniam quidem renouata plebs erit, in ea re maximè animum exercitato, vt  
 colantur boni mores, concordia inter veteres & nouos coalescat. Sed multo maximum  
 bonum patriæ, ciuibus, tibi, libertati, postremò humanæ genti pepereris, si studium pecuniæ  
 aut sustuleris, aut quoad res feret minueris. Aliter neque priuata res, neque publica, neque  
 domi, neque militiæ regi potest. **N A M** vbi cupido diuitiarum inuasit, neque disciplina, ne-  
 que artes bonæ, neque ingenium vllum satis pollet: quin animus magis aut minus natu-  
 ræ postremò tamen succumbit. Sæpe iam audiui, qui reges, quæ ciuitates & nationes per o-  
 pulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant. Id adeo haud miran-  
 dum est. **N A M** vbi bonus deteriore diuitiis magis clarum magisque acceptur vi-  
 det, primò æstuat multaque in pectore voluit: sed vbi gloria honorem magis in dies, virtu-

tem opulentia vincit, animus ad voluptatem à vero deficit. QUIPPE gloria industria alitur: vbi ea à dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. Postremò vbi diuitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. NAM ad virtutem vna & ardua via est, ad pecuniam qua cuique lubet nititur: & malis & bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniæ demito: neque de capite neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus iudicauerit, si neque Prætor neque Consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur. Sed de magistratu facile populi iudiciū fit: iudices à paucis probari, regnum est: ex pecunia legi, inhonestum. Quare omnes primæ classis iudicare placet, sed numero plures quàm iudicant. Neque Rhodios neque alias ciuitates vnquam suorum iudiciorum pœnituit, vbi promiscuè diues & pauper, vt cuiq; fors tulit, de maximis rebus iuxta ac de minimis disceptat. Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurdè placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgauerat, vt ex confusis quinque classibus forte centuriæ vocarentur: ita coæquata dignitate pecunia, virtute anteire alius alium properabit. Nec ego magna remedia contra diuitias statuo. NAM perinde omnes res laudantur atque appetuntur vt earum rerum vsus est: malitia præmiis exercetur. vbi ea dempseris, nemo omnium gratuitò malus est. Cæterum auaritiâ belua fera, immanis, intoleranda est: quò intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat: diuina cum humanis permiscet, neque exercitus neque mœnia obstant quominus vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales spoliât. Verum si pecuniæ decus ademeris, magna illa vis auaritiæ facilè bonis moribus vincetur. Atque hæc ita sese habere tam omnes æqui atque iniqui memorent: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est: cuius si dolum caueris, alia omnia in procliu erunt. Nam hi, si virtute satis valerent, magis æmuli bonorum quàm inuidi essent. Quia desidia & inertia & stumor eos atque torpedo inuasit, strepunt, obtreçant, alienam famam suam dedecus existimant. Sed quid ego plura, quasi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo atque animi vis in Consulatum erupit: hebes lingua, magis malus quàm callidus ingenio. Quid ille audeat cui Consulatus maximum imperium maximo dedecori fuit? An L. Domitii magna vis est, cuius nullum membrum à flagitio aut facinore vacat: lingua vana, manus cruëtæ, pedes fugaces, quæ honestè nominari nequeunt, inhonestissima. Vnius tamen M. Cato nis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno, parantur hæc disciplina Græcorū. Sed virtus, vigiliâ, labor apud Græcos nulla sunt. Quippe quū domi libertatē suam per inertiam amiserint, censēsne eorum præceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles: in quibus, sicut instituo, præter nomen nihil est additamenti. L. Posthumius & M. Fauonius mihi videntur quasi magnæ nauis superuacua onera esse: vbi salui peruenire visi sunt, siquid aduersi coortum est, de illis potissimum iactura fit: quia pretii minimi sunt. Quoniam nunc, vt mihi videor, de plebe renouanda corrigendâque differui, de Senatu, quæ tibi agenda videntur dicam. Postquam mihi ætas ingeniumque adoleuit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in literis, quòd natura firmus erat in laboribus, habui. Atque ego in ea vita multa legendo atque audiendo ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes vsque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: vbicumque gratia, timor, voluptas, ea corrumpere, post paulo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò seruitus imposita est. Equidem ego sic apud animum meum statuo, cuicumque in sua ciuitate amplior illustriorque locus quàm aliis est, ei magnam curam esse Reipub. Nam cæteris salua vrbe tantummodo libertas tuta est: qui per virtutem sibi diuitias, decus, honorem pepererunt, vbi paulum inclinata Respub. agitari cœpit, multipliciter animus curis atque laboribus fatigatur: aut gloriam aut libertatem aut rem familiarem defensat: omnibus locis adest, festinat: quanto in secundis rebus florentior fuit, tanto in aduersis asperius, magisque anxie agitatur. Igitur vbi plebs Senatui, sicut corpus animo, obedit, eiusque consilia sequitur, patres consilio valere decet, populo superuacanea est calliditas. Itaque maiores nostri, quum bellis asperrimis premerentur, equis, viris, pecunia amissa, nunquam defessi sunt armati de imperio certare: non inopia ærarii, non vis hostium, non aduersa res ingentem eorum animum subegit, quin quæ virtute ceperant, simul cum anima retinerent. Atque ea magis fortibus consiliis quàm bonis præliis patrata sunt. Quippe apud illos vna Respub. erat, ei consulebant, factio contra hostes parabatur: corpus atque ingenium patriæ, non suæ quisque potentie exerci

tabat. At hoc tempore contra, homines nobiles, quorum animos secordia atque ignavia inuasit, ignari laboris, hostium, militiae, domi factione instructi, per superbiam cunctis gentibus moderantur. Itaque patres, quorum consilio antea dubia Respublica stabiliabatur, oppressi, ex aliena libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt: uti eorum qui dominantur, similtas ac arrogantia fert, ita bonum malumque publicum existimant. Quod si aut libertas aequa omnium, aut sententia obscurior esset, maioribus opibus respublica & minus potens nobilitas esset: sed quoniam coaeruari gratiam omnium difficile est: quippe quum illis maiorum virtus partem reliquerit gloriam, dignitatem, clientelas: caetera multitudo pleraque inficia sit, sententia eorum a metu libera: ita oculto sibi quisque alterius potentia charior erit. **LIBERTAS** iuxta bonis & malis, strenuis & ignavis optabilis est: verum eam plerique metu deserunt. Stultissimi mortales, quod in certamine dubium est quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse Senatum puto: si numero auctus, per tabellam sententiam feret. Tabella obtentui erit quod magis animo libero facere audeat: in multitudine & praesidii plus & usus amplior est. Nam ferè his tempestatibus, alii iudiciis publicis, alii priuatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sanè Reipublicae consiliis adfuerunt: neque eos magis occupatio quam superba imperia distinuere. Homines nobiles cum paucis Senatoriis, quos additamenta factionis habent, quaecumque libuit probare, reprehendere, decernere: eaque uti libido tulit, facere. Verum ubi numero senatorum aucto per tabellam sententia dicentur, illi superbiam suam dimittent, ubi iis obediendum erit quibus antea crudelissimè imperitabant. Forsitan imperator perlectis literis, decernes quem numerum Senatorum fieri placeat: quoque modo in multa & varia officia distribuatur. Et quoniam iudicia primae classis mittenda putem: quae descriptio qui numerus in quoque genere futurus sit, ea mihi omnia generatim describere haud difficile factu fuit: sed prius laborandum visum est de summa consilii: idque tibi probandum verum esse. Si hoc itinere uti decreueris, caetera in promptu erunt. Volo ego consilium meum prudens maximèque usui esse. Nam ubicumque tibi res prosperè cedit, ibi mihi bona fama eueniet. Sed me illa magis cupido exercet, ut quocumque modo & quamprimùm Respub. adiuuetur. Libertatem gloriari clariorem habeo. Atque ego te oro hortorque ne clarissimus imperator Gallica gente subacta, populi Romani summum atque inuictum imperium tabescere vetustate, ac per summam secordiam dilabi patiaris. Profectò si id accidat, neque tibi nox, neque dies curam animi sedaueris: quin insomniis excitus, furibundus atque amens alienata mente feraris. Nanque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam diuino numine inuisi, neque bonum neque malum facinus cuiusquam pro nihilo haberi: sed ex natura diuersa praemia bonos malosque sequi. Interea fortè ea tardius procedunt: suus cuique animus ex conscientia spem praebet. Quod si tecum patria atque parentes possent loqui, scilicet haec tibi dicerent, O Caesar, nos te genuimus fortissimi viri in optima vrbe, decus praesidiumque nobis, hostibus terrorem: quae multis laboribus & periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maximam in terris, domum familiamque in patria clarissimam, praeterea bonas artes, honestas diuitias, postremò omnia honestamenta pacis & praemia belli. Pro his amplissimis beneficiis non flagitium a te neque malum facinus petimus, sed ut libertatem euersam restituas. Qua re patrata, profectò per gentes omnes fama virtutis tuae volitabit. nanque hac tempestate tamen si domi militiaeque praecleara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus aequalis est: si verò urbem amplissimo nomine, & maximo imperio propè iam ab occasu restitueris, quis te clarior, quis maior in terris fuerit? Quippe si morbo iam aut fato huic imperio secus accidat, cui dubium est quin per orbem terrarum vastitas, bella, caedes oriantur: quod si tibi bona libido fuerit patriae, parentibus gratificandi, postero tempore Repub. restituta, super omnes mortales gloria agnita, tuaque vnica mors vita clarior erit. **NAM** viuos interdum fortuna, saepe inuidia fatigat: ubi anima natura cessit, demptis obtrectatoribus, ipsa se virtus magis magisque extollit. Quae mihi vtilissima factu visa sunt, quaeque tibi usui fore credidi, quam paucissimis potui, perscripsi. Caeterum deos immortales obtestor ut quocumque modo ages, ea res tibi Reique publicae prosperè eueniat.

# Orationes ex Liuiio collectæ.

Ex primo libro ab vrbe condita.

## ORATIO METII FUFETII AD TVLLVM HOSTI- lium regem Romanorum, de pace componenda inter Roma- nos & Albanos.

### ARGVMENTVM.

Caius Clælius Albæ imperabat, Romæ Tullus Hostilius, quum Romani ex agro Albano, Albani ex Romano prædas agerent. Tum verò vtrinque legati ad res repetendas missi. Contigit fortè vt Romani priores functi legatione, quum non impetrassent quod repoposcerant, bellum neganti Albano, sicuti mandatum erat, in trigessimum diem indicerent. Quorum factus certior Tullus, repetentibus res suas Albanis iubet, regi suo nuntient, ira se velle, vter prior populus res repetentes legatos aspernatus dimississet, vt in eum dii omnes huiusce belli clades expetant. His nuntiatis, bellum vtrinque summa vi & ope parabatur. Ac Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum incursiones faciunt: castra non amplius quinque millia passuum ab vrbe locant: in quibus Clælius moritur. Albani comperta morte ad Metium Fufetium imperit summam deferunt: qui acciri ad colloquium Tullum iubet. Prior Metius in hanc sententiam de totius rei summa loquutus est,

**I**niurias & non redditas res ex foedere, quæ repetitæ sint, & ego regem nostrum Clælium causam huiusce esse belli audisse videor: nec te dubito, Tulle, eadem præ te fecisse. Si vera potius quàm dictu speciosa dicenda sunt, cupido imperii duos cognatos vicinofque populos ad arma stimulat. Neque, rectè, an perperam, interpretor: fuerit ista eius deliberatio qui bellum suscepit: me Albani gerendo bello ducem creauere. Illud te, Tulle, monitum velim, Etrusca res quanta circa nos tèque maximè sit. quo propior Volscis, hoc magis scis. Multum illi terra, plurimum mari pollent. Memor esto iam quum signum pugnae dabis, has duas acies spectaculo fore, vt fessos confectosque simul victorem victumque aggrediantur. Itaque si nos dii amant, qui non contenti libertate certa, in dubiam imperii seruitiique aleam imus: ineamus aliquam viam, qua, vtri vtris imperent sine magna clade, sine multo sanguine vtriusque populi decerni possit.

## ORATIO P. HORATII AD POPVLVM PRO filio perduellionis reo.

### ARGVMENTVM.

Horatius, is qui solus ex tergeminiis fratribus superfuit, quum tergemina spolia victor gerens, obuiam fororem, cognita fortè veste Curiatii sponsi, passis crinibus flebiliter sponsum nomine appellare videret, motus comploratione intempestiua, eam ferro transfigit. Hoc nomine in ius ad regem Tullum quum raptus esset, à Tullo duumviri capitales, sicuti lex iubebat, fiunt qui Horatio perduellionem iudicarent. Iam duumvir ei perduellionem iudicarat, iam licitor iussus laqueum iniiciebat, quum auctore Tullo, Prouoco, inquit. Ita de prouocatione ad populum cerratum est: quo iudicio absolutus est, magis admiratione virtutis quàm iure causæ. Ac in eo quidem iudicio maximè pater homines mouit, qui præter alia, hac oratione usus est,

**H**vincine, quem modò decoratum ouantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum, inter verbera & cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. Illicitor, colliga manus, quæ paulo antè armata imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris huius vrbis: arbori infelici suspende: verbera vel intra pomerium, modò inter illa pila & spolia hostium: vel extra pomerium, modò intra sepulchra Curiatorum. Quo es iam ducere hunc iuuenem potestis, vbi non sua decora eum à tanta foeditate supplicii vindicent?

## ORATIO TVLLI ROMANORVM REGIS DE proditione Metii Fufetii Albanorum ducis, ad milites,

### ARGVMENTVM.

Metius Fufeius dux Albanorum in fide Romanorum per speciem simulationis manens, Fidenates concitabat ad bellum gerendum aduersus Romanos. Ii, assumptis sociis consilii Veiētibus,

iam disponebant acies, quā aduersus Veientes Tullus suos dirigit, Albanos duce Metio contra Fidenates collocat. Albanus eo bello, sicuti hostibus receperat, clam, non ausus aperte, ac sensim subit ad montes. Ita nihilominus dimicatum est ut fusi hostes fugatique, victores Romani fuerint. Postero die vocat ad concionem Romanos Albanosque Tullus: ibi prodicionem Fufetii aperit.

**R**omani, si vnquā antē aliās vllō in bello fuit quōd primū diis immortalibus gratias agerētis, deinde vestrā ipsoꝝ virtuti, hesternū id praelium fuit. Dimicatum est enim non magis cum hostibus quā (quæ dimicatio maior ac periculosior est) cum prodicione ac perfidia sociorum. Nam, ne vos falsa opinio teneat, iniussu meo Albani subiere ad montes: nec imperium illud meum, sed consilium & imperii simulatio fuit, ut nec, vobis ignorantibus desererem vos, auerteretur à certamine animus, & hostibus circumueniri se ab tergo ratis terror & fuga iniiceretur. Nec ea culpa quam arguo, omnium Albanorum est: ducem sequuti sunt: ut & vos, si quo inde agmen declinare voluissē, fecissetis. Metius ille est ductor itineris huius, Metius idem huius machinator belli, Metius foederis Romani Albanique ruptor. Audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne iam documentū mortalibus dederō. *Centuriones armati Metium circumstant: rex cætera ut orsus erat peragit.* Quod bonū, faustum felixque sit populo Romano, ac mihi vobisque, Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo est, ciuitatem dare plebi, primores in patres legere: vnā urbem, vnā rempub. facere. ut ex vno quondam in duos populos diuisa Albana res est, sic nunc in vnum redeat. *Ad hæc Albana pubes inermis ab armatis septa, in variis voluntatibus, communitamen metu cogentē, silentium tenet.* Tum Tullus, Meti Fufeti, inquit, si ipse discere posses fidem ac foedera seruare, viuo tibi ea disciplina à me adhibita esset: nunc, quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere quæ à te violata sunt. Ut igitur paulo antē animum inter Fidenatem remque Romanam ancipitem gestisti, ita iam corpus passim distrahendū dabis.

### Ex secundo libro ab vrbe condita.

#### ORATIO P. VALERII PVBLICOLAE AD populum de crimine sibi obiecto.

##### ARGVMENTVM.

Mortuo Bruto, regnum affectare P. Valerium Bruti collegam fama tenebat, quōd collegam in demortui locum non substitueret, in summā que Velia ædificaret. Is ea re cognita, submissis primū a populo fascibus in concionem ascendit. Ibi habita primò funebri oratione de Bruti laudibus, suspicionem in hanc sententiam sustulit,

**N**vnquāme ergo vlla adeo vobis spectata virtus erit ut suspicione violari nequeat? Ego me, illum acerrimum regum hostem, ipsum cupiditatis regni crimen subiturū timerē: Ego, si in ipsa arce Capitolioq; habitare, metui me credere possē à ciuibus meis? Tam leui momento mea apud vos fama pendet? Adeone est fundata leuiter fides, ut vbi sim, quā qui sim, magis referat? Non obstabunt P. Valerii ædes libertati vestræ, Quirites: tuta erit vobis Velia: deferam non in planum modò ædes, sed colli etiam subiiciam, ut vos supra suspectum me ciuem habitetis. In Velia ædificēt quibus melius quā P. Valeriq; creditur libertas.

#### ORATIO MUTII SCAEVLAE AD

Porsemam Clusinum regem.

##### ARGVMENTVM.

Mutius Scauola indignum ratus ab Etruscis obsideri populum Romanum liberum, qui seruus sub regibus & nullis hostibus obsessus fuisset, impetrata venia à Senatu, in hostium castra consilio regis Porse nã interficiendi penetrat. Ibi ad regium tribunal cōsistens, quum inter duos, vter Porse nã esset, distinguere non posset, scribam regis pro Porse nã obtruncat. Comprehensus per satellites, regi consilium voluntatēque suam exponit.

**R**omanus sum cuius: C. Mutium vocare hostis hostē, occidere volui. Nec ad mortem minus animi est quā ad eadem fuit. Et facere & pati fortia, Romanus est. Nec vnus

ego in te hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si iuuat, accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo: ferrum hostemque in vestibulo habeas regia: hoc tibi iuuentus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris: vni tibi & cum singulis res erit.

ORATIO MARTII CORIOLANI AD  
patres contra plebem & tribunos.

ARGUMENTVM.

Seessione plebis in Sacrum mōrem, factum erat ut incultis agris, magna eo anno annonæ caritate laboraretur. Id quod patrum animos, copiâque frumenti recens aduecti, aduersus plebem, præterquam quòd iam ei infesta esset magistratum nomine, qui Patriciis non patebant, etiam maximè concitauit, ut iam multis venisse tempus videretur recuperandi iura secessionem ac vi patribus extorta. In iis Cn. Martius Coriolanus, quum in senatu de liberaretur quantum plebi frumenti daretur, his verbis sententiam peregit,

**S**annonam veterem volunt, ius pristinum reddant patribus. Cur ego plebeios magistratus, cur Sicinium potentem video sub iugum missus, tãquam à latronibus redemptus? Egone has indignitates diutius patiar quàm necesse est? Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc, auocet plebem: patet via in Sacrum. nōtem, aliòsque colles: rapiant frumenta ex agris nostris, quemadmodum tertio anno rapuerunt: fruantur, vtantur annona quam furore suo fecere. Audeo dicere, hoc malo domitos, ipsos potius cultores agrorum fore, quàm vt armati per secessionem coli prohibeant.

ORATIO ACTII TVLLII VOLSCORVM PRIN-  
cipis ad Consules, vt ludis non adessent Volsci.

ARGUMENTVM.

Martius Coriolanus damnatus absens velut indicta causa, in Volscos exulatum abierat: ibi Actii Tullii Volscorū longè principis utebatur hospitio. Iam consuetudo ipsa socios eos amicòsque fecerat, quum de bello Romano conferunt cōsilia. resque iam tum eò deducta erat vt Actius occasionem modò suos aduersus Romanos concitandi quæreret. Tum fortè ludi magni Romæ instaurabantur, ad quos Actius Volscique conueniunt. Is Actius antè nactus opportunitatem quàm ludi committerentur, Cōsules, remotis arbitris, de suorum ingenio & natura alloquitur in hanc sententiam. quæ omnia ad bellum iam animo conceptum pertinent.

**I**nuitus, quos sequi iussi (de meis ciuibus loquor) non tamen admissum quicquam ab iis criminatum venio, sed cautum ne admittant. Nimio plus quàm velim nostrorum ingenia sunt mobilia: multis id cladibus sensimus: quippe qui non nostro merito, sed vestra patetia incolumes sumus. Magna hîc nûc Volscorū multitudo est: ludi sunt: spectaculo intenta ciuitas erit. Memini quid per eandem occasionem ab Sabinorum iuuentute in hac vrbe commissum sit. Horret animus nequid inconsultò ac temere fiat. Hæc nostra vestraque causa primùm dicenda vobis Consules ratus sum. Quod ad me attinet, extemplo hinc domum abire in animo est, necuius facti dictiue contagione præsens violer.

ORATIO ACTII TVLLII AD SVOS,  
qua eos in Romanos concitat.

ARGUMENTVM.

Coniunctum est insequentis cum superioris argumento. Consules quæ sine arbitris ab Actio acceperant, quum derulissent, senatusconsulto facto Volsci omnes ante noctem ex vrbe per præconem excedere iubentur. Quum aliquantum itineris extra vrbe progressi essent, Actius indignitate rei per se satis concitatos, hac quoque oratione inflammauit,

**V**eteres populi Romani iniurias, cladisque gentis Volscorum, vt omnia obliuiscimini alia, hodiernam hanc quo tandem animo fertis, qua per nostram ignominiam sedos commiseret? Annon sensistis triumphatum hodie de vobis esse? vos omnibus ciuibus, per vos, tot finitimis populis spectaculo abeuntes fuisse: vestras coniuges, vestros liberos



liberos traductos per ora hominum: Quid eos qui audiere vocem praconis: quid, qui vos videre abeuntes: quid eos qui huic ignominioso agmini fuere obuii, existimasse putatis: nisi aliquod profectò nefas esse, quo, si interimus spectaculo, violaturi simus ludos, piaculumque meraturi: ideo nos ab sede piorum, cœtu, concilioque abigi. Quid deinde: illud nõ succurris, viuere nos, qui maturauius proficisci: si hæc profectio, & non fuga est. & hanc urbem vos non hostium ducitis, vbi si vnum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit: Bellum vobis indictum est magno illorum malo qui indixere, si viri estis.

Ex tertio libro ab vrbe condita.

ORATIO Q. FABII AD TRIBVNOS PLEB.  
alios omnes præter Terentillum.

ARGVMENTVM.

C. Terentillus Arsa tribunus pleb. absentibus consulibus longa oratione plebi consulare imperium inuidiosum adeo effecerat, vt ipsi legem se promulgaturum profitenti, qua crearentur Quinqueviri legibus de imperio consulari scribendis, vehementer assentiretur. Genatus inde a præfecto vrbis Q. Fabio vocatus, vbi atrociter in rogationē latorēque inuectus est primū, deinde his verbis cæteros tribunos de re ipsa conuenit,

**V**OS, cæteri tribuni, oramus, vt primū omniū cogiteris, potestātē istā ad singulorū auxilium, non ad perniciem vniuersorum comparatam esse: tribunos plebis vos creatos, non hostes patribus. Nobis miserum, inuidiosum vobis est, desertam remp. inuadi. non ius vestrum, sed inuidiam minueritis. Agite cum collega vt rem integram in aduentum consulū differat. Ne AEqui quidem, ac Volsci, morbo absumptis priore anno consulibus, superbo crudelique nobis bello institere.

ORATIO A VLI VIRGINII TRIBVNI  
pleb. ad plebem de Cæsonis arrogantia.

ARGVMENTVM.

Legem tulerat Terentillus tribunus pleb. vt quod populus in se ius dedisset, eo consul vteretur: quam patres impediabant. Quæ causa fuit vt tribuni delectum ad bellum haberi prohiberent. Coorta demum seditio est, ac rixa: quūque alia patribus, alia a tribunis ad eam rem pertinentia iactata forent, Cæso iuuenis ferox in mediō patrum agmine tribunarios vnus furores sustinebat. Aulus Virginius tribunus pleb. iuuenis insolentia permotus, ei legi obstanti capitis die dicta, hac sententia superbiam plebi reddebat inuidiosam,

**E**Cquid sentitis iam vos, Quirites, Cæsonem simul ciuem, & legem quam cupitis, habere non posse: Quanquam quid ego legem loquor: libertati obstat: omnes Tarquinius superbia exuperat. Expectate dum consul aut dictator fiat, quē priuatum viribus & audacia regnantem videtis.

ORATIO P. VALERII PVBLICOLAE  
consulis ad tribunos omnemque  
plebem.

ARGVMENTVM.

Exules seruique arcem Romanam nocte ad magnum numerum duce App. Herdonio occupauerant. Quod vbi compertum fuit, reliquum noctis in armis Romani egerunt, ignari qui homines, quantusque numerus hostium esset. Postero die quum Herdonius consiliū voluntatēque suam declarasset, tum quoque tribuni pleb. non bellum illud, sed imaginem modò contendebant ad auertendos à legis cura plebis animos. Populū itaque ab armis discedere iubent. Quod quum patribus nuntiatum esset, P. Valerius ex curia in templum ad tribunos veniens, de periculo cum iis primū, deinde cum plebe sic egisse fertur.

**Q**uid hoc rei est, tribuni? Appii Herdonii ductu & auspicio Rempub. euerfuri estis? tam felix vobis corrupendis fuit qui seruitia vestra non commouit author? Quum hostes supra caput sint, discedi ab armis legesque ferri placet? *inde ad multitudinem oratione conuersa*, Si vos vrbis, Quirites, si vestri nulla cura tangit: at vos veremini deos vestros ab hostibus captos. Iupiter optimus maximus, Iuno regina, & Minerua, alii dii ceteraque obfidentur: castra seruorum publicos vestros penates tenent. Hæc vobis forma sanæ ciuitatis videtur? Tatum hostiū non solum intra muros est, sed in arce, supra forum, curiamque: comitia interim in foro sunt, senatus in curia est, velut quum otium superat: senator sententiam dicit, alii Quirites suffragium ineunt. Non quicquid patrum plebisque est, consules, tribunos, deos hominesque omnes armatos opem ferre, in Capitolium currere, liberare ac pacare augustissimam illam domum Iouis optimi maximi decuit? Romule pater, tu mentem tuam, qua quondam arcem ab his iisdem Sabinis auro captam recepisti, da stirpi tuæ: iube hanc ingredi viam, quam tu dux, quā tuus ingressus exercitus est. Primus en ego consul, quantum mortalis deum possum, te ac tua vestigia sequar.

ORATIO L. QUINTII CINCINATI AD  
populum aduersus A. Virginium.

ARGUMENTVM.

Caso, cui dictus capitis dies fuerat, in Tuscos exulatum, nequicquam amicis intercedentibus, abierat. Eius pater L. Quintius Cincinnatus, insequenti anno consul creatus, non immerito filium, Auli Virginii maximè inuidia in exilium relegatum esse, Quiritibus eum hac concione inuidiosum faciebat.

**A**vlus ille Virginus, quia in Capitolio non fuit, minus supplicii quàm Ap. Herdonius meruit: Plus hercule aliquanto, qui verè rem æstimare velit. Herdonius, si nihil aliud, hostem se fatendo, propè denuntiauit vt arma caperetis: hic, negando bella esse, arma vobis ademit, nudosque seruis vestris & exulibus obiecit: & vos (cū C. Claudii & P. Valerii mortui loquar) prius in cliuū Capitolinū signa intulistis quā hos hostes de foro tolleretis? Pudet deorū hominūmq; . quū hostes in arce, in Capitolio essent, exulum & feruorum dux, profanatis omnibus, in cella Iouis optimi maximi habitaret, Tusculi antè quàm Romæ sumpta sunt arma, in dubio fuit vtrum L. Mamilius Tusculanus dux, an P. Valerius & C. Claudius consules Romanam arcem liberarent: & qui antè Latinos ne pro se quidem ipsis, quum in finibus bellum haberent, attingere arma passi sumus, nunc nisi Latini sua sponte arma sumpsissent, capti & deleti eramus. Hoc est, tribuni, auxiliū plebi ferre? inermem eam hosti trucidandam obiicere? Scilicet, si quis vobis humillimus homo de vestra plebe, quam partem veluti abruptam à cætero populo, vestram patriam peculiarè rempublicam fecistis: si quis ex his domum suam obsessam à familia armata nuntiaret, ferendum auxilium putaretis. Iupiter optimus maximus exulum atque feruorum septus armis, nulla humana ope dignus erat: & hi postulant vt sacrosancti habeantur quibus ipsi dii neque sacri neque sancti sunt? Etenim diuinis humanisque obruti scelerebus, legem vos hoc anno perlaturos dicitatis. Tum hercule illo die quo ego consul sum creatus, malè gesta respub. est, peius multo quàm quum P. Valerius consul periit, si tulertis. Iam primum omnium, Quirites, in Volscos & AEquos mihi atque collega legationes ducere in animo est. nescio quo fato magis bellates quàm pacati propitios habemus deos. Quantum periculum ab illis fuerit, si Capitolium ab exulibus obsessum fuissent, suspicari, quàm re ipsa experiri est melius.

ORATIO L. Q. CINCINATI EIVSDEM  
aduersus patrum licentiam.

ARGUMENTVM.

Contentiones inter patres ac populum orge erant de magistratibus, an exacto tempore iis destinato continuari, an comitia iisdem creandis haberi deberent. Ac quum Terentium de lege Terentilla antè referre vellent, conabantur impedire, ut omnino comitia haberentur.

à consulis. Senatus ea de re in Capitolio habitus: quò tribuni cum plebe perterrita conueniunt. De plebis & tribunorum postulatis relatione consulum senatuscòsulta facta, vt eo anno tribuni legem non ferrent, consules ab vrbe copias non educent. Magistratus continuari, & tribunos refici, iudicant contra rem. esse. Contra sententiam eam senatus, tribuni primò refecti: deinde patres, ne plebi cedere viderentur, L. Q. Cincinnatum consulem retinebant, quum in patres hac oratione inuectus est.

**M**irer, si vana vestra, P. C. ad plebem authoritas est: Vos eleuatis eam: quippe quia plebs senatusconsultum in continuandis magistratibus soluit, ipsi quoque solutum vultis, ne temeritati multitudinis cedatis: tanquam id sit plus posse in ciuitate, plus leuitatis ac licentiæ habere. Leuius enim vaniusque est profectò, sua decreta & còsulta tollere, quàm aliorum. Imitemini, P. C. turbam incòsultam: & qui aliis exèplo esse debetis, aliorum exemplo peccetis potius, quàm alii vestro rectè faciant: dum ego ne imiter tribunos, nec me contra senatuscòsultum consulè renuntiari patiar. Te verò, C. Claudi, adhortor vt & ipse populù Rom. hac licètia arceas: & de me hoc tibi persuadeas, me ita accepturum, vt non honorem meum à te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam, inuidiamque, quæ ex còtinuato eo impenderet, leuatam putem.

## ORATIO ICILII ADVERSUS APPII

decretum, vt sponsa extra domum paternam maneret.

### ARGUMENTVM.

Virginus exempli recti vir, in Alcido vitam ducens, Icilio cuidam filiam insigni forma desponderat. Eius stuprandæ libidine captus Appius Claudius decemuir, vbi nec precibus, nec muneribus pudorem virginis vinci posse intellexit, M. Claudio clienti dat negotium, vt Virginiam in seruitutem assereret, nec cederet secundum libertatem vindicias dari postulantibus. serua enim sua eam natam diceret. Comprehensa ea, quum tandem ad tribunal Appii adducta, in patris aduentum (nam ab vrbe aberat) extra patris domum abduci iuberetur: fortè Icilius sponsus interueniens, decreto Appii in hanc sententiam resistebat.

**F**erro hinc tibi submouendus sum, Appi, vt tacitum feras quod celari vis. Virginem ego hanc sum ducturus, nuptam, pudicam habiturus. Proinde omnes collegarum quoque lictores conuoca, expediri virgas & secures iube: non manebit extra domum patris sponsa Icilius. Non, si tribunitium auxilium, & prouocationem plebi Romanæ, duas artes tuendæ libertatis, ademistis: ideo in liberos quoque nostros coniugesque regnum vestræ libidini datum est. Sæuite in tergum, & in ceruices nostras: pudicitia saltem in tuto sit. Huic si vis adferetur, ego præsentium Quiritium pro sponsa, Virginus militum pro vnica filia, omnes deum hominumque implorabimus fidem: neque tu istud vnquam decretum sine cæde nostrâ referes. Postulo, Appi, etiam atque etiam consideres, quò progrediare. Virginus viderit de filia, vbi venerit, quid agat. Hoc tantum sciat, sibi, si huius vindiciis cesserit, conditionem filia quærendam esse. Me vindicantem sponsam in libertatem, vita citius deserat, quam fides.

## ORATIO VIRGINII PATRIS

aduersus Appium.

### ARGUMENTVM.

Principium ad ferri perioris pertinet. Vindicatio Virginis in posterum diè dilata. Virginium patrem interim parentes properè acciri iubent ex castris: qui quum decretis vindiciis secundum seruitutem, ab assertore M. Claudio filiam comprehendere videret, ira conceitatus manus in Appium intentans, his verbis eum incescit,

**I**cilio, Appi, non tibi filiam despondi: & ad nuptias, non ad stuprum educam. Placet pecudum ferarumque ritu promiscuè in concubitus ruere: Passurine hoc isti sint. nec non spero esse passuros illos qui arma habent.

## ORATIO VIRGINII AD MILITES,

qua honorem sibi delatum recusauit.

## ARGUMENTVM.

Quum Romæ libidinis Appii fædo exitu omnia perturbata essent, Virginius in castra, quæ tum in monte Veroillo erant, rerum euentu permotus venit. Ibi militibus ordine, ut quidque gestum erat, re exposita, ostērans ferrum quo Virginiam filiam transfixisset, omnia motu compleuit. Rei atrocitate milites commoti, in Auentinum proficiscuntur: ubi Virginius, quum decem creari debere censeret, qui summæ rerum præessent, consilio sententiæque approbata, omnes ad eum primum potestatem deferebant: quam ita recusasse fertur.

**M**elioribus meis vestrisque rebus referuate ista de me iudicia. Nec mihi filia in vita honorem vllum iucundum esse patitur, nec in perturbata repub. eos vtile est præesse vobis qui proximi inuidiæ sint. Siquis vsus mei est, nihilo minor ex priuato capietur.

## ORATIO SENIORVM PATRVM AD PATRES

& decemuiros de decemuiratus abdicatione, & tribunatus pleb. instauratione.

## ARGUMENTVM.

Hoc ad finem prioris pertinet. Ex Auentino in Sacrum montem non ita multo post transit plebs tota, auctore M. Duillio, qui tribunus pleb. fuerat: ob idque maximè quod diutius passuri non essent tribunatum abrogatum. Quod ubi Romam nuntiatum fuit, exemplo in senatum patres conueniunt, ubi de re ipsa consultarent. Eorum multi (in quibus Horatius & Valerius) in hunc modum vociferabantur,

**Q**uid expectabitis P. C? Si decemiri finem pertinaciæ non faciunt, ruere & deflagrare omnia passuri estis? Quod autem istud imperium est, decemiri, quod amplexi tenetis? Tectis ac parietibus iura dicturi estis? Non pudet, licitorum, strotorum maiorem propè numerum in foro conspici, quàm togatorum aliorumque? Quid, si hostes ad urbem veniant, facturi estis? Quid, si plebs mox, ubi parum secessione moueamur, armata veniat? Occasione vrbis vultis finire imperium? Atqui aut plebs non est habenda, aut habēdi sunt tribuni pleb. Nos citius caruerimus patriciis magistratibus, quàm illi plebeis. Nouam inexpertamque eam potestatem eripuerit patribus nostris: ne nunc dulcedine semel capti, ferant desiderium, quum præsertim nec nos temperemus imperiis, quo minus illi auxilii egeant.

## ORATIO LEGATORVM VALERII ET HORATII

ad postulata plebis in Sacro monte.

## ARGUMENTVM.

Decemuirorum maximè culpa plebs in Auentinum primum, deinde in Sacrum montem secesserat, quod finito imperii tempore abire magistratu nollent. Ii seditionibus tumultibusque coacti, quum se in patrum potestate futuros prædicarent, missi Horatius & Valerius in Sacrum montem ad plebem conditionibus quibus videretur reuocandam. Multitudo ipsa, quum tribunitiam potestatem & prouocationem se repetere velle diceret, tum demum in hanc sententiam de postulatis legati loqui sunt,

**A** Deo æqua postulastis, ut vltro vobis deferreda sint. Libertati enim a præsidia petitis, non licentiæ ad impugnandū alios. Iræ vestra n. agis ignoscendū quàm indulgendum est: quippe qui crudelitatis odio in crudelitatem ruitis: & prius penè quàm liberi sitis, dominari iam in aduersarios vultis. Nunquàmne quiescet ciuitas nostra à suppliciis aut patrum in plebem Romanam, aut plebis in patres? Scuto magis vobis quàm obidio opus est. Satis superque humilis est qui iure æquo in ciuitate viuit, nec inferendo iniuriam, nec patiendo etiam. Siquando metuentos vos præbituri estis, quum recuperatis magistratibus legibusque vestris, iudicia penè vos erūt, de capite nostro ferentisque tunc, ut quæque causa erit, statuetis: nunc libertatem repeti s. est.

ORATIO APPII DVM MAGISTRATV  
se abdicare vellet.

## A R G V M E N T V M.

Legati mandata plebis quum patribus exposuissent, decemviri omnes præter Appium non abnuebant quin magistratum deponerent. Vnus itaque Appius perstabat, qui tandem pudore coactus, in hæc verba, se velle abire decemviratu, professus est,

**H**Aud ignaro imminet fortuna. Video, donec arma aduersarius tradantur, differri aduersus nos certamen. Dandus est inuidiæ sanguis. Nihil ne ego quidem moror quominus decemviratu abeam.

ORATIO LEGATORVM AD PLEBEM  
vt in urbem rediret.

## A R G V M E N T V M.

Quum ingenti omnium lætitia magistratu abiissent decemviri, missi sunt legati qui plebi omnia quæ gesta erant exponerent, interque alia monerent vt ad patriam rediret. Ii ad hanc sententiam egerunt,

**Q**uod bonum, felix, faustumque sit vobis rei publicæ, redite in patriam ad penates, coniuges, liberósque vestros. Sed qua hîc modestia fuistis, vbi nullius ager in totusu rerum necessario tantæ multitudini est violatus, eam modestiam ferte in urbem. In Auentinum ite, vnde profecti estis: ibi felici loco, vbi prima initia inchoastis libertatis vestræ, tribunos plebis creabitis. Præsto erit pontifex maximus, qui comitia habeat.

ORATIO A. VIRGINII ADVERSVS  
Appium reum.

## A R G V M E N T V M.

Creati tribuni pleb. confirmata lege de prouocatione, singulos aggrediuntur, qui facinus aliquod adhuc impune ausi fuerant. Deligunt primùm A. Virginium tribunum pleb. accusatorem: Appium, qui decemvir fuerat, reum. Accusator sic aduersus reum egit,

**O**ratio rebus dubiis inuenta est. itaque neque ego accusando apud vos eum, tempus teram, à cuius crudelitate vosmet ipsos armis vindicastis: nec istum ad cætera scelera impudentiam in defendendo se adiicere patiar. Omnium igitur tibi, Appi Claudii, quæ impiè nefarièque per biennium alia super alia es ausus, gratiam facio. Vnius tantùm criminis nisi iudicem vindices te, ab libertate in seruitutem contra leges vindicias non dedisse: in vincula te duci iubeo.

ORATIO M. DVILLII TRIBVNI PLEB. QVVM  
potestati tribunitiæ modum fecisset.

## A R G V M E N T V M.

Ingenti iam metu patres perculsi erant, quòd tribuni pleb. in iudiciis, quibus iam Ap. Claudium & Sp. Oppium in vincula coniecerant, C. Claudium in exilium miserant: longè seueriores, quàm decemviri videbantur. M. Duillius tribunus pleb. quum id comperisset, patres in hanc sententiam ad se in libertatis reuocare conabatur.

**E**T libertatis nostræ, & pænarum ex inimicis, satis est. Itaque hoc anno nec diem dici cuiquam, nec in vincula duci quenquam sum passurus. Nam neque vetera peccata repeti iam obliterata placet, quum etiam noua expiata sint decemvirorum suppliciiis: & nihil admissum iri, quod vim tribunitiam desideret, spondet perpetua consulum amborum in libertate vestra tutela, cura.

ORATIO VALERII CONSVLIS QVA  
equites ad fortiter pugnandum hortatur.

ARGUMENTVM.

Valerius consul aduersus coniunctos iam in Algido exercitus Æquorum & Volscorum bellum sustinebat. Castris iam tantisper copias cōtinuerat dum pars hostium in Hernicos, pars in Latinos iam propè de victoria certi ad prædam agendam contēdissent: quum signa inferri iubet. Quo bello pedites multo sermone adhortatus ad egregiè pugnandum, equites his verbis incitauit,

**A**gite iuuenes, præstate virtute peditem, vt honore atque ordine præstatis. Primo cō-  
cursu pedes mouit hostem, pulsum vos immixtis equis exigite è campo. Non susti-  
nebunt impetum: & nunc cunctantur magis quàm resistunt.

ORATIO HORATII CONSVLIS  
qua suos cohortatur.

ARGUMENTVM.

De victoria Valerii cōtra Volscos atque Æquos factus certior Horatius collega Vale-  
rii, in hanc sententiam milites ad strenuè pugnandum aduersus Sabinos adhortabatur,

**Q**uemadmodum in Algido res gesta sit, arbitror vos milites audisse. Qualem liberi  
populi exercitum decuit esse, talis fuit. Consilio collegæ, virtute militū victoria par-  
ta est. Quod ad me attinet, id consilii animique habiturus sum, quod vos milites  
mihi effeceritis. Et trahi bellum salubriter, & maturè perfici potest. Si trahendum est: ego,  
vt in dies spes virtutisque vestra crescat, eadem qua institui disciplina efficiam. Si iam satis a-  
nimi est decernique placet, agitedum, clamorem, qualè in acie sublati estis, tollite hîc, in-  
dicem voluntatis virtutisque vestræ.

ORATIO T. Q. CAPITOLINI QVARTVM  
consulis ad populum Romanum.

ARGUMENTVM.

Discordiis ciuium, quæ iam non vltra reprimi poterant, fiebat vt conciones etiam de  
qualibet re fieri impediretur. Quod posteaquam Æquis Volscisque compertum fuit, cōiun-  
ctis exercitibus, primùm agros circà omnes vastabant: deinde quum Romanos id etiam  
negligere vidissent, ad mœnia Urbis populabundi accessere. Tum Q. Capitolinus concio-  
ne populi vocata, hac oratione periculi magnitudinem rei que indignitatem exposuit.

**E**t si mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum, tamen cum pudore summo in concio-  
nem vestram processi, hoc vos scire, hoc posteris memoriæ traditū iri, Æquos & Vol-  
scos vix Hernicis modò pares, T. Quintio quartum consule ad mœnia vrbs Romæ  
impunè armatos venisse. Hanc ego ignominiam (quanquam iam diu ita viuatur, is status  
rerum est, vt nihil boni diuinet animus) si huic potissimum imminere anno scissem, vel  
exilio, vel morte (si alia fuga honoris non esset) vitassem. Ergo si viri arma illa habuissent  
quæ in portis fuere nostris, capi Roma me consule potuit? Satis honorum, satis superque  
vitæ fuit: mori tertium consulem oportuit. Quem tandem ignauissimi hostium contem-  
psere: nos consules, an vos Quirites? Si culpa in nobis est, auferite imperium indignis: & si  
id parū est, insuper pœnas expetite: si in vobis, nemo deorum nec hominum sit qui vestra  
puniat peccata, Quirites: vosmet tantum eorū pœniteat. Non illi vestrā ignauitiam contem-  
psere, nec suæ virtuti confisi sunt: quippe toties fusi, fugati que, castris exuti, agro mulctati,  
sub iugū missi, & se & vos nouere. Discordia ordinū, est veni nū vrbs huius. Patrum & ple-  
bis certamina, dum nec nobis imperii, nec vobis libertatis est modus, dum tædet vos pa-  
triorum, nos plebeiorum, sustulere animos. Proh deūm fides, quid vobis vultis? Tribu-  
nos pleb. concupistis: concordia causa concessimus. decemuiros desiderastis: creati passi  
sumus. decemuirorum vos pertæsumus est: abiire magistratu. Manente in eosdem priuatos  
iura vestra, mori atque exulare nobilissimos viros atque honestissimos passi sumus. Tribu-  
nos pleb. iterum creare voluistis: creastis. Consules facere vestrarum partium, etsi patri-  
bus videbamus iniquum, patricium quoque magistratum plebi donum fieri vidimus.  
Auxilium tribunitium, prouocationem ad populum, scilicet plebis iniuncta patribus, sub

titulo æquandarum legum nostra iura oppressa tulimus, & ferimus. Qui finis erit discordiarum? ecquando vnam urbem habere, ecquando communem hanc patriam esse licebit? Victi nos aequiore animo quiescimus quam vos victores. Satisne est, nobis vos metuedos esse? Aduersus nos Auentinum capitur, aduersus nos Sacer occupatur mons. Esquilinas quidem ab hoste propè captas, & scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submouit: in nos viri, in nos armati estis. Agitedum, vbi hic curiam circumsederitis, & forum infestum feceritis, & carcerem principibus impleueritis: iisdem istis ferocibus animis egredimini extra portam Esquilinam: aut, si ne hoc quidem audetis, ex muris visite agros vestros ferro ignique vastatos, prædam abigi, fumare incensa passim tecta. Atenim communis res per hæc loco est peiore: ager vratur, vrbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. Quid tandem priuatæ res vestræ, quo in statu sunt? Iam vnicuique ex agris sua damna nuntiabuntur. Quid est tãdè domi vnde ea expleatis? Tribuni vobis amissa reddet ac restituat: Vocis, verborumque quantum voletis, ingerent, & criminum in principes, & legum aliarum super alias, & concionum. Sed ex illis concionibus nunquam vestrum quisquã re, fortunãque, domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad coniugem & liberos præter odia, offensiones, simultates publicas priuatãque: à quibus semper non vestra virtute innocentiaque, sed auxilio alieno tuti sitis. At Hercules, quum stipendia nobis consulibus, non tribunibus ducibus: & in castris, non in foro faciebatis: & in acie vestrum clamorem hostes, non in concione patres Romani horrebant: præda parta, agro ex hoste capto, pleni fortunarum, gloriaque simul publicæ, simul priuatæ, triumphantes domum ad penates redibatis: nunc oneratum vestris fortunis hostem abire finitis. Hærete affixi concionibus, & in foro viuite: sequitur vos necessitas militandi, quam fugitis. Graue erat in AEquos & Volscos proficisci: ante portas est bellum. Si inde non pellitur, iam intra mœnia erit, & arcem & Capitolium scandet, & in domos vestras vos persequetur. Biennio antè senatus delectum haberi, & educi exercitum in Algidum iussit: sedemus domi defides, mulierum ritu altercantes inter nos, præsentis pace læti, nec cernentes ex otio illo breui multiplex bellum rediturum. His ego gratiora dictu alia esse scio: sed me vera pro gratis loqui, etsi meum ingenium non moneret, necessitas cogit. Vellem equidem vobis placere, Quirites: sed multo malo vos saluos esse, qualicumque erga me animo futuri estis. Natura hoc ita comparatum est, vt qui apud multitudinem sua causa loquitur, gratior eo sit cuius mens nihil præter publicum commodum videt. Nisi fortè assentatores publicos, plebicolos istos, qui vos nec in armis, nec in otio esse sinunt, vestra vos causa incitare & stimulare putatis. Concitati, aut honori aut quæstui illis estis: & quia in concordia ordinum nullos se vsquam esse vident: malæ rei se, quam nullius, turbarum ac seditionum duces esse volunt. Quarum rerum si vos tædium tandem capere potest, & patrum vestrosque antiquos mores vultis pro his nouis sumere: nulla supplicia recuso, nisi paucis diebus hos populatores agrorum nostrorum fusos fugatosque castris exuero, & à portis nostris mœnibusque ad illorum vrbes hunc belli terrorem, quo vos nunc attoniti estis, transtulero.

Ex quarto libro ab vrbe condita.

ORATIO C. CANULEII TRIBVNI PLEB. AD  
plebem pro rogationibus promulgatis.

ARGVMENTVM.

C. Canuleius Tribunus plebis, cæterique octo, anni principio rogationes promulgauerunt de connubio patrum & plebis, vt alter consulum ex plebe fieret. Ac tantum aberat vt vtrumlibet patres approbarent, vt etiam, si hoc fieri, & transferri à primoribus ad plebem summam imperii, illo contaminari sanguinem suum confundique iura gentium terentur. Quum ita sententiis variaretur, fortè Veientes alique populi arma sumperant aduersus Romanos: contra quos quum delectum haberi patribus placeret, Canuleius vnus aduersus omnes delectum haberi se reliquam prius passurum pronuntiabat, quàm rata confirmataque essent, quæ a se collegisq; fuissent promulgata. Qua de re consules ad patres in senatu aduersus tribunos plebis, maxime Canuleium, concionem habuerunt: quo tempore & Canuleius hac concione plebem aduersus patres concitabat.

c. iiii.

**Q**uante pere vos, Quirites, contemnerent patres, quàm indignos ducerent qui vna  
 secum vrbe intra eadem mœnia viueretis, sæpe equidem & antè videor animaduer  
 tisse, nunc tamen maximè, quòd adeo atroces in has rogationes nostras coorti sunt.  
 Quibus quid aliud quàm admoneremus ciues nos eorum esse? & si non easdem spes habe  
 re, eandem tamen patriam incolere? Altera connubium petimus, quod finitimis externis  
 que dari solet: nos quidem ciuitatem, quæ plus quàm connubium est, hostibus etiam vi  
 ctis dedimus. Altera nihil noui ferimus, sed id quod populi est, repetimus atque vsurpa  
 mus: vt quibus velit, populus Romanus honores mandet. Quid tandem est cur cælum ac  
 terras misceant? cur in me impetus modò penè in senatu sit factus? Negēt se manibus tem  
 peraturos? violaturósque denuntient sacrosanctam potestatem? si populo Rom. liberum  
 suffragium datur, vt quibus velit, consulatum mandet, & non præciditur spes plebeio cui  
 que, si dignus summo honore erit, adipiscendi summi honoris, stare vrbs hæc non poterit?  
 de imperio actum est? Et perinde hoc valet, plebeius ne consul fiat, tanquam seruum aut li  
 bertinum aliquis consulem futurum dicat? Ecquid sentitis in quanto contemptu viuatis?  
 Lucis huius vobis partem, si liceat, adimant: quod spiratis, quod vocem mitritis, quod for  
 mam hominum habetis, indignantur. Quinetiam, si diis placet, nefas aiunt esse consulem  
 plebeium fieri. Obsecro vos, si non ad fastos, non ad commentarios pontificum admitti  
 mur: ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt, consules in locum regum  
 successisse, nec aut iuris aut maiestatis quicquam habere quòd non regibus antè fuerit? En  
 vnquam creditis fando auditum esse, Numam Pompilium non modò non patriciũ, sed  
 ne ciuem quidem Romanum, ex Sabino agro fuisse accitum populi iussu, patribus auto  
 ribus Romæ regnasse? L. deinde Tarquinium non modò nõ Romanæ, sed ne Italicæ qui  
 dem gētis, Demarati Corinthii filium, incolam, à Tarquiniis, viuis liberis Anci, regem fa  
 ctum? Seruium Tullium post hunc captiuam Corniculana natum, patre nullo, matre serua,  
 ingenio & virtute regnum tenuisse? Quid enim de T. Tatio Sabino dicam? quem ipse Ro  
 mulus parès vrbs in societatem regni accepit? Ergo dum nullum fastiditur genus in quo  
 eniteret virtus, creuit imperium Romanum. poeniteat vos nũc plebeii consulis, quum ma  
 iores nostri aduenas reges non fastidierint, & ne regibus quidem exactis clausa vrbs fuerit  
 peregrinæ virtuti. Claudiam certè gentem, post exactos reges, ex Sabinis non in ciuitatem  
 modò accepimus, sed etiam in patriciorum numerum. Ex peregrino patricius, deinde con  
 sul fiat: cuius Romanus si sit ex plebe, præcisa consulatus spes erit? Vtrum tandem non cre  
 dimus fieri posse vt vir fortis ac strenuus, pace belloque bonus, ex plebe, Numæ sit, Lucio  
 Tarquinio, Seruio Tullio similis? An, ne si sit quidem, ad gubernacula reipublicæ accede  
 re eum patiemur, potiùsque decemuiris teterrimis mortalium qui tum omnes ex patribus  
 erant, quàm optimis regum nouis hominibus similes consules sumus habituri? Atenim  
 nemo post reges exactos de plebe cõsul fuit. Quid postea? nullane res noua institui debet,  
 & quod nondum est factum, (multa enim nondum sunt facta in nouo populo) ea ne si v  
 tilia quidem sint, fieri oportet? Pontifices, augures Romulo regnante nulli erant: ab Numa  
 Pompilio creati sunt. Census in ciuitate, & descriptio centuriarum classiumque nõ  
 Seruio Tullio est facta. Consules nunquam fuerant: regibus exactis creati sunt. Dictatoris  
 nec imperium nec nomen fuerat: apud patres esse cœpit. Tribuni plebis, ædiles, quaestores  
 nulli erant: institutum est vt fierent. Decemuiros legibus scribendis intra decem hos annos  
 & creauimus & è republica sustulimus. Quis enim dubitat quin in æternum vrbe condita  
 & in immensum crescente, noua imperia, sacerdotia, iura gētium hominumque instituan  
 tur? Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non decemuiros tulerunt paucis  
 his annis, pessimo exemplo, cum summa iniuria plebi? Non esse vlla maior aut insignior  
 contumelia potest, quàm partem ciuitatis velut contaminatam, indignam connubio ha  
 beri? Quid est aliud quàm exilium intra eadem mœnia, quàm relegationem pati? Ne affi  
 nitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cauent, ne societatis sanguis. Quid? hoc si pol  
 luit nobilitatem istam vestram, quam plerique ex Albanis oriundi & Sabinis, non genere,  
 nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges ex  
 actos? An populi: sinceram seruare priuatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe,  
 neque vestras filias sororesque etiam enubere? Nemo plebeius vim patri  
 ciae virgini adferret: patriciorũ ista libido est: nemo inuita in pacationem nesciale quen  
 quam facere coegisset. verum enim uero lege id prohiberi, & connubium tolli patrum ac



plebis, id demum contumeliosum plebi est. Cur enim non confertis ne sit connubiū cum diuitibus ac pauperibus? Quod priuatorum consiliorum vbique semper fuit, vt in quamcunque foemina conuenisset domum, nuberet: ex qua pactus esset vir domo, in matrimonium duceret: id vos sub legis superbissimæ vincula coniicitis, qua dirimatis societatem ciuilem, duasque ex vna ciuitate faciatis. Cur non sancitis ne vicinus patricio sit plebeius? ne eodem itinere eat? ne idem conuiuium ineat? ne in foro eodem consistat? Quid enim in re est aliud? si plebeiam patricius duxerit, si patriciam plebeius, quid iuris tandem mutatur? Nempe patrem sequuntur liberi: nec quod nos ex connubio vestro petamus, quicquam est, præterquam vt hominum, vt ciuium numero simus: nec vos, nisi in contumeliam ignominiamque nostram certare iuuat, quod contendatis quicquam est. Denique vtrum tandem populi Rom. an vestrum summum imperium est? Regibus exactis, vtrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta est? Oportet licere populo Rom. si velit, iubere legem: an, vt quæque rogatio promulgata erit, vos delectum pro poena decerneris: & simul ego tribunus vocare tribus in suffragium cœpero, tu statim consul sacramento iuniores adiges, & in castra educes? & minaberis militi, minaberis tribuno? Quid si non quantum istæ minæ aduersus plebis consensum valerent, bis iam experti essetis? Scilicet quia nobis consultum volebatis, certamine abstinuisistis: an ideo non est dimicatum, quod quæ pars firmior, eadem modestior fuit? Nec nunc erit certamen, Quirites: animos vestros illi tentabunt semper, vires non experientur. Itaque ad bella ista, seu vera, seu falsa sunt, consules, parata vobis plebs est, si connubiis redditis, vnam hanc ciuitatem tandem facitis, si coalescere, si iūgi miscerique vobis priuatis necessitudinibus possunt: si spes, si aditus ad honores viris strenuis & fortibus datur: si in consortio, si in societate reipub. esse, si (quod æquæ libertatis est) inuicē annuis magistratibus parere, atque imperitare licet. Sin hæc impedit aliquis, ferte sermonibus & multiplicata fama bella: nemo nomē est daturus, nemo arma capturus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum quibus nec in re publica, honorum, nec in priuata, connubii societas est.

## ORATIO VECTII MESSII VOLSCORVM

regis qua suos adhortatur.

## ARGVMENTVM.

In Algidum conuenerant Æqui Volsique, vbi partitis copiis, Romanos, si venirent, obseruabant. Romani venientes hostium exemplo binis castris loca diuersa breui spatio inter se distantia capiunt. Noctē tandem post multa variæque leuia certamina, hostes Romanorum adoriuntur castra: quibus à Romanis magna celeritate atque prudentia obstatum est. Ac quum iam apertè ad Romanos res ipsa inclinare videretur, tum demū Vestius Messius rex Volscorum ad suos transit, ad resistendum in hæc verba adhortaturus.

**H**IC præbituri vos telis hostium estis, indefensi, inulti? Quid igitur arma habetis? aut quid vtrò bellum intulistis, in otio tumultuosi, in bello segnes? Quid hinc stantibus spei est? an deum aliquem protecturum vos rapturumque hinc putatis? Ferro via faciēda est: hac qua me prægressum videritis, agite, qui visuri domos, parentes, coniuges, liberos estis: ite mecum. Non murus, nec vallum, sed armati armatis obstant. Virtute pares, necessitate (quæ vltimum ac maximum telum est) superiores estis.

## ORATIO MAMERCI AEMILII DICTA-

toris, qua suos inusitato certamine exterritos exhortatur.

## ARGVMENTVM.

Fidenatibus Romanis rebellare, accitis Veientibus belli sociis, placebat: itaque Veientes exercitum suum Fidenas communi consilio bellum sedem captas ducunt. Eò contendunt & Romani: qui iam primò statim cōgressu hostes conruderunt, quum repente patefactis Fidenatum portis noua erumpens acies, quæ fœdibus ardentibus tota collucebat, noua specie ipsis terrorem intulit. Quid Mamercus Æmilius dictator animaduertens, suos his verbis accendebat ad prælium re-integrandum.

**F**Vmó ne victi, velut examen apum, loco vestro exacti, inertim cedetis hosti? non ferro extinguetis ignes: non faces has ipsas pro se quisque, si igni, non telis pugnandum est, ereptas vltro inferetis: Agite, nominis Romani & virtutis patrum vestraeque memores, vertite incendium hoc in hostium urbem, & suis flammis delete Fidenas, quas vestris beneficiis placare non potuistis. Legatorum hoc vos vestrorum, colonorumque sanguis, vastataeque fines monent.

### ORATIO SEXTI TEMPANII DECVRIONIS

qua milites in re complorata adhortatur.

#### ARGUMENTVM.

Sextus Tempanius decurio erat militum: is quum res Romana, bello Volscorum, temeritate Sempronii consulis eò recidisset, vt iam casis magna ex parte militibus, qui supererant, iam pararent sese fugae mandare, voce magna exclamans vt equites ex equis defilerent qui saluam remp. vellent: omnium turmarum equites non secus quam si consul edixisset, motos hac voce monebat,

**N**isi haec armata cohors sistat impetum hostium, actum de imperio est. Sequimini pro vexillo cuspidem meam: ostendite Romanis Volscisque, neque equitibus vobis vltos equites, neque peditibus esse pedites pares.

### ORATIO L. DECII TRIBVNI PLEB.

ad populum aduersus M. Posthumium  
tribunum militum.

#### ARGUMENTVM.

M. Posthumio Regillensi tribuno militum bellum aduersus Aequos permissum erat. Is fractis hostium animis, quum in hostium oppidum irrupisset, bellum in ciues conuertens, praedam militis fore edicit. Capto oppido, fidem mutat. Postea in urbem a collegis accersitus, quum M. Festius tribunus pleb. laturum se legem diceret vt Volas coloni mitterentur. Malum militibus meis (inquit) nisi quieuerint. Qua voce quum populum patresque offenderit: L. Decius tribunus pleb. in maius eum odium & inuidiam populi, arrepta occasione ex voce illa, vocat.

**A**Vditis, Quirites, sicut seruis malum minantem militibus: tamen haec bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quam qui vos vrbe agrisque donatos in colonias mittunt: qui sedem senectuti vestrae prospiciunt: qui pro vestris commodis aduersus tam crudeles superbosque aduersarios depugnant. Incipite deinde mirari cur pauci iam vestram suscipiant causam. Quid a vobis sperent? An honores: quos aduersariis vestris potius quam propugnatoribus datis. Ingemuistis modo voce huius audita, quid id refert? iam si suffragium detur, hunc, qui malum vobis minatur, iis qui agros sedesque ac fortunas stabilire volunt, praferetis.

Ex quinto libro ab vrbe condita.

### ORATIO APPII CLAVDII TRIBVNI

militum ad populum contra tribunos pleb. pro  
bello continuando.

#### ARGUMENTVM.

Hybernacula militibus tum primo ad continuandum etiam hyeme bellum, vt supra erant, quum imperatores Romani se obsidendo quam oppugnando sperarent Reip. melius consulturos. Perlata ea res Romam, tribunos pleb. permouerat, qui primo quoque tempore plebi quid ea re efficeretur exponunt: ita plebis libertatem vendi iactando, illudque eò institutum, vt quum ii in quibus vires omnes plebis erant, abfuisent, agi de commodis ipsius non possent. His aliisque iam plebis animos tribuni sollicitarant, quum Appius Claudius tribunus militum plebe conuocata pro bello continuando, contra indisque militibus in hybernaculis, contra tribunos pleb. hanc concionem habuit.

**S**ynquam dubitatum est, Quirites, vtrum tribuni pleb. vestra an sua causa seditionum semper authores fuerint, id hoc anno desisti dubitari certum habeo. Eorum iam lator tandem longè erroris vobis finem factum esse, tum quod secundis potissimum a vestris

rebus hic error est sublatus, & vobis, & propter vos Reipublicæ gratulor. An est quisquam qui dubitet nullis iniuriis vestris (siquæ fortè aliquando fuerunt) vnquam æque, quàm munere patrum in plebem, quum æra militibus constituta sunt, trib. pleb. offensos & concitatos esse? Quid illos aliud aut tū timuisse creditis, aut hodie turbare velle, nisi cōcordiam ordinandam, quam dissoluendæ maximè tribunitiæ potestatis rentur esse? Sic hercule, tanquam artifices improbi, opus quærunt, qui & semper ægri aliquid esse in repub. volunt, vt sit ad cuius curationem à vobis adhibeantur. Vtrum enim defenditis, an impugnatís plebem? vtrum militantium aduersarii estis, an causam agitis? Nisi fortè hoc dicitis, quicquid patres faciunt, displicet: siue illud pro plebe, siue cōtra plebem est. Et quemadmodum seruis suis vetant domini quicquam rei cum alienis hominibus esse, paritèrque in iis beneficio ac maleficio abstineri æquum censent: sic vos interdicitis patribus commercio plebis, ne nos comitate ac munificentia nostra prouocemus plebem, nec nobis plebs dicto audiens atque obediens sit. Quanto tandem, si quicquam in vobis, non dico ciuilibus, sed humani esset, fauere vos magis, & quantum in vobis esset, indulgere potius comitati patrum atque obsequio plebis oportuit? Quòd si perpetua concordia sit, quis non spondere ausit maximum hoc imperium inter finitimos breui futurum? Atqui ego quàm hoc consilium collegarum meorum, quo abducere infecta re à Veis exercitum noluerunt, non vtile solum, sed etiam necessarium fuerit, postea edisseram. Nunc de ipsa conditione militantium dicere libet. Quam orationem non apud vos solum, sed etiam in castris, si habeatur ipso exercitu disceptante, æquam arbitror videri posse: in qua si mihi ipsi nihil quod dicerem, in mētem venire posset, aduersariorum certè orationibus contentus essem. Negabant nuper æra danda militibus, quia nunquā data essent: quonā modo igitur nūc indignari possunt, quibus aliquid noui adiectum commodi sit, eis laborē etiam nouum pro portione iniungi? Nusquam nec opera sine emolumento, nec emolumentum ferme sine impensa opera est. Labor voluptasque, dissimillima natura, societate quadam inter se naturali sunt iuncta. Molestè antea ferebat miles se suo sumptu operam reip. præbere: gaudebat idem partem anni se agrum suum colere, quærere vnde domi militiæque se ac suos tueri posset: gaudet nunc fructui sibi remp. esse, & lætus stipendium accipit. Ab quo igitur animo patitur se ab domo, ab re familiari, cui grauis impēsa non est, paulo diutius abesse. An si ad calculos eum Respub. vocet, non meritò dicat, Annuæ æra habes, annuam operam ede: an tu æquum censes, militia semestri solidum te stipēdium annuum accipere? Inuitus in hac parte orationis, Quirites, moror. Sic enim agere debent qui mercenario milite vtūtur: at nos tāquam cum ciuibus agere volumus: atque tanquam cum patria nobiscum, æquum censemus. Aut non suscipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate populi Romani, & perfici quamprimum oportet. Perficietur autem, si vrgemus obsessos, si non antè abscedimus, quàm spei nostræ finem, captis Veis, imposuerimus. Si hercule, nulla alia causa, ipsa indignitas perfecterantiam imponere debuit. Decem quondam annos vrbs oppugnata est ob vnā mulierem ab vniuersa Græcia: quàm procul ab domo? quot terras, quot maria distans? nos terra vicesimum lapidem in conspectu propè vrbs nostræ oppugnationem annuam perferre piget. scilicet quia leuis belli causa est, nec satis quicquam iusti doloris est quod nos ad perfecti adum stimulet. Septies rebellarunt, & in pace nunquā fidi fuerunt: agros nostros millies depopulati sūt: Fidenates à nobis deficere coegerūt: colonos nostros ibi interfecerūt: auctores fuerunt cōtra ius cædis impiæ legatorum nostrorum: ac Etruriam omnem aduersus nos concitare voluerunt, hodièque id moliuntur: res repetētes legatos nostros haud procul abfuit quin violarent. Cum his molliter & per dilationes bellum geri oportet? Si vos tam iustum & diu nihil mouet, ne illa quidem, oro, vos mouent? Operibus ingentibus septa vrbs est, quibus intra muros coercetur hostis: agrum non coluit, & culta euastata sunt bello. Si reducimus exercitum, quis est qui dubitet illos non cupiditate solum vlci scendi, sed etiam necessitate imposta ex alieno prædandi, quū sua amiserint, agrum nostrum inuasuros? Non differimus igitur bellum isto consilio, sed intra fines nostros accipimus. Quid illud, quod propriè ad milites pertinet, quibus lioni trib. pleb. quum stipendium extorquere voluerint, nunc consilium repente volunt, quale est? Vallum fossamque, ingentis vtranque rem operis, per tantum spatium duxerunt: castella primò pauca, postea exercitu aucto creberrima fecerunt: munitione non in vrbe modo, sed in Etruriam etiam spectantes, qua inde auxilia veniunt, opponere. Quid turres? quid vineas, testudinesque, &

alium oppugnandarum urbium apparatus loquar: quum tantum laboris exhaustū sit, & ad finem iam operis tandem peruentum: relinquédane hæc censeatis, vt ad ætate rursus nouus de integro his instituendis exudetur labor: quanto est minus opera tueri facta, & instare atque perseuerare, defungique cura: Breuis enim perfectò res est, si vno tenore peragitur: nec ipsi per intermissiones has interuallaque lentiolem spem nostrā facimus. Loquor de opere, & temporis iactura. Quid: periculi quod differendo bello adimus, num obliuisci nos hæc tam crebra Etruriæ consilia de mittendis Veios auxiliis patiuntur: Vt nunc res se habet, irati sunt, oderunt, negant missuros: quantum in illis est, capere Veios licet. Quis est qui spondeat, eundem, si differatur bellum, animum postea fore: quum si laxamētum dederis, maior frequentiorque legatio itura sit: quū id quod nunc offendit Etruscos, rex creatus Veius, spatio mutari interposito possit, vel consensu ciuitatis, vt eo reconcilient Etruriæ animos: vel ipsius voluntate regis, qui obstare regnum suum saluti ciuium nolit. Videte quot res quàm inutiles sequantur illam viam consilii. Iactura operū tāto labore factorum, vastatio imminens finium nostrorum, Etruscum bellum pro Veiente concitatum. Hæc sunt, tribuni, consilia vestra: non hercule dissimilia ac si quis ægro, qui curari se fortiter passus, extemplo conualescere possit, cibi gratia præsentis aut potionis longinquū & forsitan insanabilem morbum efficiat. Si mediussidius ad hoc bellum nihil pertineret, ad disciplinam certè militiæ plurimum intererat, insuescere militem nostrum non solum parta victoria frui, sed, si res etiam lentior sit, pati tædium, & quanuis seræ spei exitum expectare: & si nō sit æstate perfectū bellum, hyemē opperiri: nec, sicut æstiuas aues, statim autumno tecta ac recessum circumspicere. Obsecro vos, venandi studium ac voluptas homines per niues ac pruinas in montes syluāsque rapit: belli necessitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel lusus ac voluptas elicere solet: Adeone effœminata corpora militum nostrorum esse putamus, adeo molles animos, vt hyemem vnam durare in castris, abesse ab domo non possint: vt tanquam nauale bellum, tempestatibus captandis, & obseruando tempore anni, gerant: non æstus, non frigora pati possint: Erubescant perfectò, si quis eis hoc obiiciat: cõtendântque & animis & corporibus suis virilem patientiam inesse, & se iuxta hyeme atque æstate bella gerere posse: nec se patrociniū mollitiæ inertiæque mandasse tribunis: & meminisse hanc ipsam potestatem non in vmbra, nec in tectis maiores suos creasse. Hæc virtute militum vestrorum, hæc Romano nomine sunt digna, non Veios tantum, nec hoc bellū intueri quod instat, sed famam & ad alia bella, & ad ceteros populos in posterum, quærere. An mediocre discrimen opinionis sequuturum ex hac re putatis: vtrum tandem finitimi populum Romanum eum esse putent, cuius si qua vrbs primum illum breuissimi temporis sustinuerit impetum, nihil deinde timeat: an hic sit terror nominis nostri, vt exercitu nō tædiū Romanū lōginquæ oppugnationis, non vis hyemis ab vrbe circumfessa semel amouere possit: nec finem vllum aliū belli quàm victoriam noverit: nec impetu potius bella quàm perseuerantia gerat: quæ in omni quidem genere militiæ, maximè tamen in obsidendis urbibus necessaria est: quarum plerasque munitionibus ac naturali situ inexpugnabiles, fame sitique tēpus ipsum vincit atque expugnat: sicut Veios expugnabit, nisi auxilio hostibus tribuni pleb. fuerint, & Romæ inuenerint præsidia Veientes, quæ nequicquam in Etruria quærunt. An est quicquam quod Veientibus optatum æquè contingere possit, quàm vt seditionibus primum vrbs Romana, deinde velut ex contagione, castra impleantur: At hercule apud hostes tanta modestia est, vt nō obsidionis tædio, non denique regni, quicquam apud eos nouatum sit, non negata auxilia ab Etruscis irritauerint animos. Morietur enim extemplo quicumque erit seditionis author, nec cuiquam dicere ea licebit quæ apud vos impunè dicuntur. Fustuariū n meretur qui signa relinquit, aut præsidio decedit: authores signa relinquendi, & deserendi castra, non vni aut alteri militi, sed vniuersis exercitibus, palam in concione audiuntur. adeo quicquid tribunus pleb. loquitur, etsi prodendæ patriæ, dissoluendæque Reip. est, assuestis audire: quippe dulcedine potestatis eius capti, qualibet sub ea scelera latere finitis. Reliquū est vt quæ hinc vociferantur, eadem in castris & apud milites agant, & exercitus corrum pant, ducibusque parere non patiantur: quoniam ea de num Romæ libertas est, non senatum, non magistratus, non leges, non mores maiorum, non instituta patrum, non disciplinam vereri militiæ.

ORATIO P. LICINII CALVI AD POPV-  
lum, vt filio, sibi delatum honorem,  
mandaret.

## ARGUMENTVM

Tribunos militum consulari potestate (in quibus P. Licinius Calvus erat primus ex plebe) vitio creatos, oraculo Delphico constabat. Itaque omnes se magistratu abdicant, re ad interregnum, sicuti responsum erat, redacta. Creatur omnium centuriarum consensu ac voluntate iterum idem P. Licinius. Is quum iam exactæ ætatis tribunitiæ potestati se imparem videret, ita Quirites rogabat vt honorem sibi delatum filio mandarent.

**O** Men concordia, Quirites, rei maximè in hoc tempus utilis, memoria nostri magistratus, vos his comitiis petere in insequentem annum video, si & collegas eisdem reficitis, etiam vsu meliores factos. Me iam non eundem, sed vmbra nomenque P. Licinii relictum videtis: vires corporis effœtæ, sensus oculorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor animi obtusus. En vobis (*inquit iuuenem filium tenens*) effigiem atque imaginem eius quem vos antea tribunum militum ex plebe primum fecistis. Hunc ego institutum disciplina mea, vicarium pro me Reipub. do dicoque: vosque quæso, Quirites, delatum mihi vltro honorem, huic petenti, meisque pro eo adiectis precibus mandetis.

ORATIO CAMILLI AD PAEDAGOGVM FA-  
liscorum in castris deprehensum  
cum pueris.

## ARGUMENTVM

M. Furio Camillo mandatum erat bellum aduersus Faliscos: quo bello fusi fugatique Falisci, amissis castris in oppidum se receperunt. In obsidione oppidi ludimagister Faliscorum pueros lusus exercendique causa ingenii ante urbem producens, longius fortè variatis sermonibus progressus, in prætorium ad Camillum perduxit. Ibi quum Faliscos diceret à se iam in manus Romanorum traditos, quod pueros eos dederet quorum parentes primores essent Faliscorum: in hanc sententiam respondit Camillus,

**N**on ad similem tui nec populum nec imperatorem scelestus ipse cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis quæ pacto fit humano societas non est: quam ingeneravit natura, vtrisque est eritque. Sunt & belli sicut pacis iura: iustæque ea non minus quàm fortiter didicimus gerere. Arma habemus non aduersus eam ætatem cui etiam captis vrbibus parcitur: sed aduersus armatos, & ipsos qui nec læsi nec laceßiti à nobis, castra Romana ad Veios oppugnauerunt. Eos tu, quantum in te fuit, nouo scelere vicisti: ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, sicut Veios, vincam.

ORATIO LEGATORVM FALISCOS ROMA-  
nis dediturum in senatu.

## ARGUMENTVM

Huius principium coniunctum est cum fine superioris. Ludimagister à Camillo proditiōnis crimine vehementer accusatus, iussus nudato corpore à pueris virgis cædentibus in oppidum reduci, omnium in se oculos tanquam ad nouum spectaculum conuerterat: ea re diligenter à senatu Faliscorum perpensa, mutatis animis & consiliis, legati ad Camillum primum, deinde Romanam missi, qui Faliscos hac oratione dederent,

**P**atres Conscripti, victoriã cui nec deus nec homo quisquam inuideat, victi à vobis & imperatore vestro, dedimus nos vobis: rati (quo nihil victori pulchrius est) melius nos sub imperio vestro quàm legibus nostris victuros. Euentu huius belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt: vos fidem in bello quàm præsentem victoriã, maluistis: nos fide prouocati, victoriã vltro detulimus: sub ditione vestra sumus. Mittite qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant: nec vos fidei nostræ, nec nos imperii vestri præpœtebit.

ORATIO CAMILLI EXVLIS QVA ARDEA-  
tes, vt arma capiant aduersus Gallos,  
adhortatur.

ARGVMENTVM.

Camillus Ardeam fortè exulatum abierat, quum Galli urbem Romam, præter Capitolium, ceperunt: is, quum Galli Ardeam frumentâdi gratia vagarentur, publica fortuna quàm sua mœstior, in concionem procedens, hac oratione Ardeates ad sumenda arma aduersus Gallos, adhortabatur.

**A**Rdeates, veteres amici, noui etiam ciues mei, (quando & vestrum beneficium ita tulit, & fortuna hoc egit mea) nemo vestrum conditionis meæ oblitum me huc processisse putet: sed res ac periculum commune cogit quod quisque possit in re trepida præsidii in medium conferre. Et quando ego vobis pro tantis vestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessauero: aut vbi vsus erit mei vobis, si in bello non fuerit? Hac arte in patria steti: & inuictus bello, in pace ab ingratis ciuibus pulsus sum. Vobis autem, Ardeates, fortuna oblata est, & pro tantis pristinis populi Romani beneficiis quanta ipsi meministis, (nec enim exprobranda apud memores sunt) gratiæ referendæ, & huic vrbi decus ingens belli ex hoste communi pariendi. Quæ effuso agmine aduentat, gens est cui natura corpora animosque magna magis quàm firma dedit: eò in certamen omne plus terris quàm virium ferunt. Argumento sit clades Romana: patentem cepere urbem: ex arce Capitolioque, quòd iis exigua resistitur manu, iam obsidionis rædio victi abscedunt, vagique per agros palantur: cibo vinoque raptim hausto repleti, vbi nox appetit, prope riuos aquarum sine munimèto, sine stationib' ac custodiis passim ferarum ritu sternuntur, nunc ab secudis rebus magis etiam solito incauti. Si vobis in animo est tueri mœnia vestra, nec pati hæc omnia Galliam fieri, prima vigilia capite arma: frequentes me sequimini ad eadem, non ad pugnam. Nisi victos somno, velut pecudes, trucidandos tradidero, non recuso eundem Ardeæ rerum mearum exitum quem Romæ habui.

ORATIO M. FVRRI CAMILLI AD POPVLVM

Rom. de non transmigrando

Veios.

Galli capta Roma, domos omnes templaque deorum, præter pauca & Capitolium, diruerant soloque æquauerant. Quæ fuit causa vt tribuni pleb. fugatis cæsisque Gallis, Camillo duce, quum Romam patres plebsque rediissent, ad plebem de transmigracione Veios referrent. Quod vbi Camillus intellexit, conuocato populo, hac concione non esse transmigrandum Veios, iudicabat.

**A**Deo mihi acerbæ sunt, Quirites, contentiones cum tribunis pleb. vt nec tristissimi exilii solatium aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quàm quòd procul ab his certaminibus erã: & ob eadem hæc, non, nisi me senatusconsulto plebsque iussu reuocaretis, rediturus vnquam fuerim: nec nunc me, vt redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna perpulit. quippe vt in sua sede maneret patria, id agebatur, non vt ego vtique in patria essem. Et nunc tacerem & quiescerem libenter, nisi hæc quoque pro patria dimicatio esset: cui deesse, quoad vita suppeditat, aliis turpe, Camillo etiã nefas est. Quid enim repetimus? quid obsessam ex hostium manibus eripuimus? si recuperatam ipsi deserimus? Et quum victoribus Gallis, capta tota vrbe, Capitolium tamen atque arcem diique & homines Romani tenuerint, habitauerint: victoribus Romanis, recuperata vrbe, arx quoque & Capitolium deseretur? & plus vastitatis huic vrbi secunda nostra fortuna faciet quàm aduersa fecerit? Equidem si nobis cum vrbe simul positæ traditæque per manus religiones nullæ essent, tamen tam euidēs nunc hac tempestate rebus adfuit Romanis, vt omnem negligentiam diuini cultus exemptam hominibus putem. Intuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res vel aduersas: inuenietis omnia prosperè euenisse sequentibus deos, aduersa, spernentibus. Iam omnium primùm Veios belum, per quot annos, quanto labore gestum: non antè cepit finem quàm monitu deorum aqua ex lacu Albano emissa est. Quid hæc tandem vrbs nostræ clades noua? non antè exorta est quàm spreta

vox cælo emissa de aduentu Gallorū, quàm gentium ius à legatis nostris violatū: quàm à nobis, quum vindicari deberet, eadem negligentia deorum prætermissum: Igitur victi captique ac redempti, tantum poenarum diis hominibūque dedimus, vt terrarum orbi documento, essemus. Aduersæ deinde res admonuerunt religionum: confugimus in Capitolio ad deos, ad sedē Iouis optimi maximi: sacra in ruina rerū nostrarum alia terræ celauimus, alia auecta in finitimas vrbes amouimus ab hostiū oculis: deorum cultum, deserti ab diis hominibūque, tamen non intermisimus. Reddidere igitur patriam & victoriam, & antiquum belli decus amissum: & in hostes, qui cæci auaritia in pondere auri fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem fugamque & cædem. Hæc culti neglectique numinis tanta monumenta in rebus humanis cernentes, ecquid sentitis, Quirites, quantum vixdum ex naufragiis prioris culpæ cladisque emergentes, paremus nefas: Urbem auspiciatō inauguratōque habemus conditam: nullus locus in ea non religionum deorumque est plenus: sacrificiis solennibus non dies magis statim quàm loca sunt, in quibus fiant. Hos omnes deos publicos priuatosque, Quirites, deserturi estis: Quàm par vestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adolescente Fabio non minore hostium admiratione quàm vestra conspectum est, quum inter Gallica tela digressus ex arce solenne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit: An gentilitia sacra ne in bello quidem intermitteri, publica sacra & Romanos deos etiam in pace deserui placet: & pontifices flaminesque negligentiores publicarum religionum esse quàm priuatus in solenni gentis fuerit: Forsitan aliquis dicat, aut Veis ea nos facturos, aut huc inde missuros sacerdotes nostros, qui faciant. quorum neutrum fieri saluis ceremoniis potest. Et ne omnia generatim sacra omnesque perceseam deos, in Iouis epulo non alibi quàm in Capitolio, puluinar suscipi potest: Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque quod imperii pignus custodia eius templi tenetur, loquar: quid de ancilibus vestris: Mars Gradiue tuque Quirine pater, hæc omnia in profano deserui placet sacra, æqualia vrbi, quædam vetustiora origine vrbs: Et videte quid inter nos & maiores nostros interfit. illi sacra quædam in mōte Albano, Lanuuiūq; nobis faciendā tradiderunt. An ex hostium vrbs Romam ad nos transferri sacra, religiosum fuit: hinc sine piaculo in hostium vrbs Veios transferemus: Recordamini agitedum quoties sacra instaurentur quia aliquid ex patrio ritu negligentia casuue prætermissum est. Modò quæ res post prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum auspiciorūque renouatio, affectæ Veienti bello Reipub. remedio fuit: At etiam tanquam veterum religionum memores, & peregrinos deos transfulimus Romam, & instituimus novos. Iuno regina transfuecta à Veis, nuper in Auentino quàm insigni ob excellens matronarum studium, celebrique dedicata est die: Aio Locuto templum propter cælestem vocem exauditam in noua via iussimus fieri: Capitolinos ludos solennibus aliis addidimus, collegiūque ad id nouum authore senatu condidimus. Quid horum opus fuit suscipi, si vnā cum Gallis vrbs Romanam relicturi fuimus: si non voluntate mansimus in Capitolio per tot mentes obsidionis: si ab hostibus metu retenti sumus: De sacris loquimur, & de templis. quid tandem de sacerdotibus: nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur: Vestalibus nempe vnā illa sedes est ex qua eas nihil vnquam, præterquam vrbs capta, mouit. Flamini diali noctem vnā manere extra vrbs nefas est: hos Veientes pro Romanis facturi estis sacerdotes: & Vestales tuæ te deferent Vesta: & flamen peregrè habitando, in singulas noctes tantum sibi reique publicæ piaculi contrahet: Quid alia, quæ auspiciatō agimus omnia ferè intra pomœrium, cui obliuioni aut cui negligentia damus: Comiticia curiata, quæ rem militarem continent: comiticia centuriata, quibus consules tribunosque militares creatis: vbi auspiciatō, nisi vbi assolent, fieri possunt: Veiosne hæc trāferemus: an comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab diis hominibūque vrbs conueniet: Sed res ipsa cogit vastā incendiis ruinisq; relinquere vrbs, & ad integra omnia Veios migrare, nec hic ædificando inopē plebem vexare. Hanc autē iactari magis causam, quàm verā esse, vt ego nō dicā, apparere vobis Quirites puto, qui meministis ante Gallorū aduentum saluis tectis publicis, priuatisq; stāte incolū mi vrbs, hanc eandē rem actam esse vt Veios transmigraremus. E. videte quantum inter neam sententiam vestramque interfit, tribunum vos, etiā si tunc faciendū non fuerit, nunc utiq; faciendum putatis: ego contra, (nec id mirari fitis, priusquam quale sit audiueritis) etiā si tūc migrādum fuisset incolūmi

rota vrbe, nunc has ruinas relinquendas non censerem. Quippe tum causa nobis in urbem captam migrandi victoria esset, gloriosa nobis, ac posteris nostris: nunc hæc migratio nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. non enim reliquisse victores, sed amisisse victi patriam videbimini. Hoc ad Alliam fuga, hoc capta vrbs, hoc circumfessum Capitolium necessitatis imposuisse, vt desereremus penates nostros, exiliũmque ac fugam: nobis ex eo loco conscisceremus quem tueri non possemus: & Galli euertere potuerunt Romam, quam Romani restituere non videbuntur potuisse: Quid restat, nisi vt si iam noui copis veniant, (constat enim vix credibilem multitudinem esse) & habitare in capta ab se, deserta à nobis hac vrbe velint, sinatis? Quid si non Galli hoc, sed veteres hostes nostri AEqui Volsciq; faciant, vt commigrent Romam? Velitisne illos Romanos, vos Veientes esse: non malitis hanc solitudinem vestram, quàm urbem hostium esse? Non equidem video quid magis nefas sit. Hæc scelera, quia piget ædificare, hæc dedecora pati parati estis: Si tota vrbe nullum melius ampliũve tectum fieri possit quàm casa illa conditoris est nostri, non in casis ritu pastorum agrestiumque habitare est satius inter sacra penatesque vestros, quàm exulatum publicè ire: Maiores nostri conueniunt pastoresque, quum in his locis nihil præter sylvas paludesque esset, nouam urbem tam breui ædificauerunt: nos Capitolio, arce incolumi, stantibus templis deorum, ædificare incensam piget: & quod singuli facturi fuimus si ædes nostræ deflagrassent, hoc in publico incendio vniuersi recusamus facere: Quid tandem si fraude, si casu Veis incendium ortum sit, ventoque, vt fieri potest, diffusa flamma magnam partem vrbs absumat? Fidenas inde, aut Gabios, aliãve quã urbem quæsituri sumus, quò transmigramus? Adeò nihil tenet solum patriæ, nec hæc terra, quam matrem appellamus: sed in superficie tignisque charitas nobis patriæ pender? Equidem fatebor vobis, (etsi minus iniuriæ vestræ quàm meæ calamitatis meminisse iuuat) quum abessem, quotiescunq; patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant: colles campique, & Tiberis, & assueta oculis regio, & hoc cælum sub quo natus educatusque essem. Quæ vos, Quirites, nunc moueant potius charitate sua, vt maneatis in sede vestra, quàm postea, quum reliqueritis ea, macerent desiderio. Non sine causa dii hominesque hunc vrbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quò ex mediterraneis locis fruges deuchantur, quò maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionum Italiæ medium. Ad incrementum vrbs natum vnicè locum, augmento est ipsa magnitudo tam nouæ vrbs. Trecentimus sexagesimusquintus annus vrbs, Quirites, agitur. inter tot veterimos populos tam diu bella geritis, quum interea (ne singulas loquar vrbes) non cõiuncti cum AEquis Volsci, tot, tam valida oppida, non vniuersa Etruria tantum terra marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis est par. Quod quum ita sit, quæ (malum) ratio est expertis alia experiri? quũ iam vt virtus vestra transire aliò possit, fortuna certè loci huius transferri hinc non possit? Hic Capitolium est, vbi quondam capite humano inuento, responsum est, eo loco caput rerum summamque imperii fore. hic, quum auguratò liberaretur Capitolium, iuventas Terminusque maximo gaudio patrum nostrorum moueri se non passis: hic Vestæ ignes, hic ancilia cælo demissa, hic omnes propitii manentibus vobis dii.

Ex sexto libro ab vrbe condita.

ORATIO M. FVRII CAMILLI DICTATORIS,

qua suos perterritos hostium numero

adhortatur.

ARGVMENTVM

Ad Satricum Antiatas cum Volscorum, Latinorum Hernicorumque iugenti multitudine sumperant arma contra Romanos. quòd bellum Camillo dictatori manlatum fuit. Ibi quum



viso inspectoque hostium ingenti numero, milites commoti perturbatique, singulis cum centenis congregiendum esse conclamarent: Camillus inequo inter aciem obequitans, eos ad strenuè atque fortiter pugnandum ita adhortabatur,

**Q**uæ tristitia, milites, hæc? quæ insolita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? Hostis quid aliud est quam perpetua materia virtutis gloriæque vestræ? Vos contra, me duce (vt Falerios Veiosque captos, & in capta patria Gallorum legiones cæfas taceam) modò tergeminae victoriæ triplicem triumphum ex his ipsis Volscis & AEquis & ex Etruria egistis. An me, quòd non dictator vobis sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia in vos desidero, & vos in me nihil præter meipsum intueri decet. Neque enim dictatura mihi vnquam animos fecit, vt ne exilium quidem ademit. Iidem igitur omnes sumus: & quum eadem omnia in hoc bellum adferamus quæ in priora attulimus, euentum eundem belli expectemus. Simul concurreritis, quod quisque didicit ac consuevit, faciet: vos vincetis, illi fugient.

## ORATIO A. CORNELII COSSI DICTATORIS ad suos.

### ARGUMENTVM

A. Cornelius Cossus dictator T. Quintium Capitolinum magistrum equitum dixerat. Ii aduersus Volscorum ingentem multitudinem, etiamsi bella intestina remorari poterant, delictu habito in agrum Promptinum milites ducunt. Ibi quum postridie quàm venissent, cæsa hostia pacem à diis petiisset dictator, lætus tanquam à diis auditus esset, in hæc verba milites adhortabatur,

**N**ostra victoria est, milites, siquid dii vatèsque eorum in futurum vident. Itaque, vt decet certæ spei plenos, & cum imparibus manus conferturos, pilis ante pedes positus, gladiis tantum dexteras armemus. Ne procurri quidem ab acie velim, sed obnixos vos stabili gradu impetum hostium excipere. Vbi illi vana iniecerint missilia, & effusi stantibus vobis se intulerint, tum micent gladii, & veniat in mentem vniciuique, deos esse qui Romanum adiuuent, deos qui secundis aibus in prælium miserint. Tu, Quinti, equitem intentum ad primum initium moti certaminis teneas: vbi hære iam aciem collato pede videris, cum terrorem equestrem occupatis alio pauore infer: inuectusque ordines pugnantium dissipa.

## ORATIO CORNELII COSSI DICTATORIS in M. Manlium.

### ARGUMENTVM

M. Manlius Capitolinus erat qui Capitolium ab Gallis clangore asferum excirus seruauit. is largitionibus populari aura captata, populum domum suam vocat, vbi in patres inuectus, inter alia ab iis thesauros eos qui ad redimendam à Gallis urbem ex ærario exprompti, siue à matronis collati fuerant, occultatos iactabat. Rogatus vbinam tantæ rei furtum occultaretur, tempore ipso se indicaturum respondit. Dictator Cossus ob eam rem ab exercitu & castris in urbem accitus, postero die senatu habito, quum voluntates hominum satis explorasset, retinet senatum, Manliumque per præconem vocari iubet. Manlius multitudine plebis stipatus in senatum venit, in quem dictator hæc verba coniecit,

**V**tinam mihi patribusque Romanis ita de cæteris rebus cum plebe conueniat, quæ admodum, quod ad te attinet, eamque rem quam de te sum quæsiturus, conuenturum satis confido. Spem factam à te ciuitati video, fide incolumi ex Gallicis thesauris, quos primores patrum occultent, creditum solui posse: cui ego rei tantum abest vt impedimento sim, vt contra te, M. Manli, adhorter, liberes fœnore plebem Romanam, & istos incubantes thesauris publicis ex præda clandestina euoluas. Quod nisi facis, siue vt & ipse in parte prædæ sis, siue quia vanum indicium est: in vincula te duci iubebo, nec diutius patiar à te multitudinem fallaci spe concitari.

ORATIONES  
 ORATIO M. MANLIJ CAPITOLINI, QVA  
 dictatori & patribus respondet.

ARGUMENTVM.

Coniunctum est hoc cum superiore. Cum plebe, quam donis largitionibusque pellexerat, in senatum Manlius venerat. Ibi dictatori concionato, in hanc sententiam respondit,

**O**ffendit te, A. Corneli, vosque p. c. circumfusa turba lateri meo. Quin eam deducitis à me singuli vestris beneficiis: intercedendo, eximendo de neruo ciues vestros, prohibendo iudicatos addictosque duci: ex eo quod affluit opibus vestris, sustinendo necessitates aliorum: Sed quid ego vos de vestro impendatis hortor: Sortem aliquam ferte, de capite deducite quod vsuris pernumeratum est: iam nihilo mea turba quam vllius, conspectior erit. Atenim quid ita solus ego ciuium curam ago: Nihilo magis quod respondeam habeo, quam si quæras quid ita solus Capitolium arcemque seruauerim. Et tum vniuersis quam potui opem tuli, & nunc singulis feram. Nam quod ad thesauros Gallicos attinet, rem suapte natura facilem, difficilem interrogatio facit. Cur enim quæritis quod scitis: cur quod in sinu vestro est, excuti iubetis potius quam ponatis: nisi aliqua fraus subest. quo magis argui præstigias iubetis vestras, eo plus vereor ne abstuleritis obseruantibus etiam oculis. Itaque non ego vobis, vt indicem prædas vestras, sed vos id cogendi estis vt in medium proferatis.

ORATIO M. MANLIJ CAPITOLINI POST  
 vincula ad plebem aduersus patres  
 concitandam.

ARGUMENTVM.

Concitata plebs erat Manlij fortuna miserâque conditione, adeo vt magna pars vestem mutaret, moesta turba vestibulo carceris obuersaretur. Ei multitudini, simul ac Cossus dictatura abiit, plerique exprobrabant inter alia etiam illud, quod defensores suos fauore in præceptis ruere sinebat: vt Sp. Melium & Cassium: ita M. Manlium proditum inimicis, quod ad nutum dictatoris respondere noluisse, coniectum fuisse in carcerem. His aliisque ad eandem rem pertinentibus plebs stimulara atque irritata, iam se carcerem effracturam minabatur, quum ex senatusconsulto Manlius liberatur. Eductus ex carcere animum ad seditionem intendens, plebem domum conuocat, vbi in hanc sententiam de tollendis magistratibus disseruit,

**Q**uousque tandem ignorabitis vires vestras, quas natura ne belluas quidem voluit ignorare: Numerate saltem quot ipsi sitis, quot aduersarios habeatis. Si singuli singulos aggressuri essetis, tamen acrius crederem vos pro libertate quam illos pro dominatione certaturos. Quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc aduersus vnum hostes eritis. Ostendite modò bellum, pacem habebitis: videant vos paratos ad vim, ius ipsi remittent. Audendum est aliquid vniuersis, aut omnia singulis patienda. Quousque me circumspectabitis: Ego quidem nulli vestrum deero: ne fortuna mea desit, videte. Ipse vindex vester, vbi visum inimicis est, nullus repente fui: & vidistis in vincula duci vniuersi eum qui à singulis vobis vincula depuleram. Quid sperem si plus in me audeant inimici: An exitum Cassij Melique expectem: Bene facitis quod abominamini. Dii prohibebunt hæc, sed nunquam propter me de cælo descendent. Vobis dent mentem oportet vt prohibeatis, sicut mihi dederunt armato togatoque vt vos à barbaris hostibus, à superbis defenderem ciuibus. Tam paruus animus tanti populi est, vt semper vobis auxilium aduersus inimicos satis sit: nec vllum, nisi quatenus vobis imperari sinatis, certamen aduersus patres noritis: Nec hoc natura vobis insitum est, sed vsu possidemini. Cur enim aduersus externos tantum animorum geritis, vt imperare illis æquum censeatis: quia consueuistis cum eis pro imperio certare, aduersus hos tentare magis quam tueri libertatem. Tamen qualescunque duces habuistis, qualescunque ipsi fuistis, omnia adhuc quantacunque petistis, obtinuistis, seu vi, seu fortuna vestra: tempus est etiam maiora conari. Experimentum modò & vestram felicitatem, & me (vt spero) feliciter expertum, minore negotio qui imperet patribus imponetis quam qui resisterent imperantibus imposuistis. Solo æquandæ sunt dictaturæ consulatúsque, vt caput attollere Romana plebs possit. Proinde adeste, prohibete ius de pecuniis dici: ego me patronum profiteor plebis. Quod mihi cura mea &

fides nomen induit, vos siquo insigni magis imperii honorisve nomine vestrum appellabitis duces, eo utemini potentiore ad obtinenda ea quæ vultis.

ORATIO CAMILLI AD SENATORES TVSCVLANORVM de mittendis Romam de pace legatis.

ARGVMENTVM.

Camillus in recedendis captiuis Volscorum fortè Tusculanos duos agnoscit, qui rogati quo consilio cum Volsceis se coniunxissent, quum publico faterentur, ducti sunt Romam ad senatum. Ibi Camillus perfidiam Tusculanorum accusat. Placet patribus ut bellum aduersus Tusculanos geratur, cui Camillum præficiunt. Tusculani ciues patentibus vrbis portis obuiam Camillo in urbem promouenti frequentes procedunt: commearus exercitui ex vrbe & agris deuehitur. Ingressus verò urbem, quum non secus quàm in certa pace opifices suo quenque operi intentos cerneret, rei rationem admiratus, senatu eorum vocato, ita verba fecit,

Soli adhuc Tusculani vera arma verasque vires, quibus ab ira Romanorum vestra tue remini, inuenistis. Ite Romam ad senatum: æstimabunt patres utrum plus antè pœnæ, an nunc veniæ meriti sitis. Non præripiam gratiam publici beneficii. Deprecandi potestatem à me habueritis, precibus euentum vestris senatus quem videbitur dabit.

ORATIO LEGATORVM TVSCVLANORVM IN senatu, qua se purgant.

ARGVMENTVM.

Tusculani oratores, sicuti suaserat Camillus, Romam ad petendam pacem missi, hospitaliter vocati, causam suam ita egerunt,

Quibus bellum indixistis intulistisq; p. c. sicut nunc videtis nos stantes in vestibulo curiæ vestræ, ita armati paratique obuiam imperatoribus legionibusque vestris processimus. Hic noster, hic plebis nostræ habitus fuit eritque semper, nisi siquando à vobis proque vobis arma acceperimus. Gratias agimus & ducibus vestris & exercitibus quod oculis magis quàm auribus crediderunt: & ubi nihil hostile erat, ne ipsi quidem fecerunt. Pacem quam nos præstitimus, eam à vobis petimus: bellum, eò sicubi est, auertatis precamur. In nos quid arma polleant vestra, si patièdo experiendum est, inermes experiemur. Hæc mens nostra est: dii immortales faciant, tam sit felix quàm pia. Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum indixistis, etsi reuicta rebus, verbis confutare nihil attinet, tamen etiam, si vera sint, vel fateri nobis ea, quum tam euidenter pœnituerit, tutum censemus. Peccetur in vos, dum digni sitis quibus ita satisfiat.

ORATIO Q. CINCINNATI DICTATORIS

ad A. Sempronium magistrum equitum de belli ratione.

ARGVMENTVM.

Iam Prænestini, quum omnia Romæ seditionibus plena, perlatum esset, vastatis agris ad portam Collinam peruenerant spe vrbis capiendæ: quum Romani dictatorem, ut assolebant in re trepida, T. Quintium Cincinnatum creant, à quo A. Sempronius magister equitum dictus. Hostes, quum dictatorem creatum audirent, à mœnibus ad Alliam flumen, ubi castra locarent, se receperant. Dictator Quintius ducto exercitu, quum hostes in conspectu instructos paratosque videret, ita de belli ratione cum magistro equitum agebat.

Videsne tu Aule Semproni loci fortuna illos fretos ad Alliam constitisse: nec illis dii immortales certioris quicquam fiduciæ, maiorisve quod sit auxilii dederint? At tu fretus armis animisque, concitatis equis inuade mediam aciem. Ego cum legionibus in turbatos trepidantesque inferam signa. Adeste dii testes fœderis, & expetite pœnas debitas, simul vobis violatis, nobisque per numen vestrum deceptis.

d.iiii.

ORATIO CAMILLI DICTATORIS AD QUIRITES, de intercessione.

ARGUMENTVM IN HANC ET IN SEQ.

Plebs, arrepta fortè occasione rerum nouandarum ex magna vi æris alieni, à quo leuari nõ posset, nisi suis in summo imperio collocatis: tribunos pl. duos, C. Licinium & L. Sextium creat, qui sibi viam præstruerent ad cæteros honores. Ii creati promulgant leges tres aduersus opes patriciorum, & pro commodis plebis. vnam de ære alieno, vt deducto eo de capite quod vsuris pernumeratum esset, id quod reliquum esset, triennio tribus æquis portionibus persolueretur: alteram de modo agrorũ, nequis amplius quàm quingenta iugera agri possideret: tertiã, ne tribunorum militum comitia fierent, consulque alter ex plebe crearetur. Conterriti patres tam seueris contra se legibus, collegas tribunis duobus adiungunt, qui leges per intercessionem promulgari non sinerent. Ii, à duobus collegis legumlatoribus concilio ad promulgandas leges sæpe vocato, ne recitari quidem eas passi sunt. Conditione deinde rerum coacti iidem legumlatores, tribunos militum creati permittunt. Ita promulgatio in reditum exercitus dilata. Interim sæpe refecti iidem tribuni, miseriam plebeiorum primoribus patrum exponunt, in licentiãque maximam patriciorum inuehebantur, quod attineret ad id quod leges promulgandæ continebant. Iam decies refecti, quum legionibus in urbem reductis, non impedirentur collegarum intercessione, patres dictatorem creant Camillum, qui stipatus magno patriciorum numero, quum collegarum intercessione etiam renouata nihil profici videret, proxima oratione de intercessione ad populum verba fecit. Ea concione habita, quum indictis tribunorum pl. comitiis legumlatores iam decies (vt ante dixi) refecti se abire velle magistratu per simulationem faterentur: magis accendebant plebis animos ad id quod petebant. Nam etsi in leges suas pugnatum esse commemorabant intercessione collegarum, bello Veliterno & dictatoris creatione: iam tamen illa obstare posse negabant quominus leges promulgarentur, quum magister equitum ex plebe dictus gradum fecisset ad cæteros quoque magistratus videretur. His aliisque plebis animos inflammant, quũ stupẽtribus cæteris vnus App. Claudius aduersus trib. pl. legumlatores legesque ipsas, posteriorẽ orationem habuit,

**Q** Vando quidem, Quirites, iam vos tribunitia libido, non potestas regit: & intercessionem secessione quondam plebis partam nobis, eadem vi facitis irritam, qua peristis, non Reipub. magis vniuersæ quàm vestra causa dictator intercessioni vestræ adero, euersumque vestrum auxilium imperio tutabor. Itaque si C. Licinius & L. Sextius intercessioni collegarum cedunt, nihil patricium magistratum inferam concilio plebis: si aduersus intercessionem tanquam captæ ciuitati leges imponere tendent, vim tribunitiam à seipsa dissolui non patiar.

ORATIO APPII CLAVDII CONTRA TRIBUNOS pl. legumlatores, & leges ipsas.

**N**Equè nouũ neque inopinatum mihi sit, Quirites, si, quod vnũ familiæ nostræ semper nobiectũ est ab seditionis tribunis, id nũc ego quoque audiam, Claudie gẽti iam inde ab initio nihil antiquius in Republica, patrum maiestate fuisse, semper plebis commõdis aduersatos esse. Quorum alterum neque nego, neque inficias eo, nos, ex quo asciti sumus simul in ciuitatem & patres, enixè operam dedisse vt per nos aucta potius quàm imminuta maiestas earum gentium inter quas esse voluistis, dici verè posset. Illud alterum pro me maioribusque meis contendere ausim, Quirites, ( nisi quæ pro vniuersa Repub. fiant, ea plebi tanquam aliam incolenti urbem aduersa quis putet) nihil nos neque priuos neque in magistratibus, quod incommodum plebi esset, scientes fecisse, nec vllum factum dictumve nostrum, contra vtilitatem vestram (etsi quædam contra voluntatem fuerint) verè referri posse. An hoc, si Claudie familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed vnus Quiritiũ quilibet, qui modò me duobus ingenuis ortũ, & viuere in libera ciuitate sciam, reticere possim? L. illum Sextium, & C. Licinium, perpetuos (si diis placet) tribunos, tantum licentiæ nouem annis, quibus regnant, sumpsisse, vt vobis negent potestatem liberam suffragii, non in comitiis, non in legibus iubendis se permissuros esse? Sub conditione (inquit) nos reficietis decimum tribunos. Quid est aliud dicere? Quod petunt alii, nos adeo fastidimus, vt sine mercede magna non accipiamus? Sed quæ tandem ista merces est qua vos semper tribunos pleb. habeamus? Vt rogationes (inquit) nostras, seu placent, seu displicent, seu viles, seu inutiles sunt, omnes coniunctim accipiatis. Obsecro vos, Tarquinii tribuni pleb. putate me ex media concione vnum ciuem succlamari: bona venia vestra liceat ex his rogationibus legere quas salubres nobis censemus esse, antiquare alias. Non,

inquit, licebit. Tu de fœnore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, iubeas, & hoc potenti non fiat in vrbe Romana, vtillum L. Sextium atque hunc C. Licinium consules, quod indignaris, quod abominaris, videas: aut omnia accipe, aut nihil fero: si quis ei quæ vrgeat fames, venenum ponat cum cibo, & aut abstinere eo quod vitale sit iubeat, aut mortiferum vitali admisceat. Ergo si esset libera hæc ciuitas, non tibi frequētēs succlamassent, abi hinc cum tribunatibus ac rogationibus tuis? Quid: si tu non tuleris quod commodum est populo accipere, nemo erit qui ferat illud? Siquis patricius, si quis (quod illi volunt inuidiosius esse) Claudius diceret, aut omnia accipite, aut nihil fero: quis vestrum, Quirites, ferret? Nunquã mne vcs, res potius quã auctores spectabitis: sed omnia semper quæ magistratus ille dicit, secundis auribus, quæ ab nostrum aliquo dicentur, aduersis accipietis? At hercule sermo est minimè ciuili. Quid: rogatio qualis est quam à vobis antiquatam indignantur? Sermoni Quirites simillima. Consules (inquit) rogo, ne vobis, quos velitis, facere liceat. An aliter rogat qui vtique alterum ex plebe fieri consulem iubet, nec duos patricios creandi potestatem vobis permittit? Si hodie bella sint, quale Etruscum fuit, quum Porfena Ianiculum insedit, quale Gallicum modò, quum præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium erant, & consulatum cum hoc M. Furio, aut quolibet alio ex patribus L. ille Sextius peteret: possit sine ferre Sextium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare? Hòccine est in commune honores vocare, vt duos plebeios fieri consules liceat, duos patricios non liceat: & alterum ex plebe creari necesse sit, vtrunque ex patribus præterire liceat? Quænam ista societas, quænam confortio est? parum est, si cuius pars tua adhuc nulla fuit, in partem eius venis, nisi partem petendo totum traxeris? Timeo (inquit) ne, si duos licebit creari patricios, neminem creetis plebeium. Quid est aliud dicere, nisi, Quia indignos vestra volũtate creaturi nõ estis, necessitatẽ vobis creandi quos non vultis, imponam? Quid sequitur, nisi vt ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patriciis vnus petierit plebeius, & lege se, non suffragio creatum dicat? Quo modo extorqueant, non quo petant honores quærunt: & ita maxima sunt adepturi, vt nihil ne pro minimis quidem debeant: & occasionibus potius quã virtute petere honores malunt. Est aliquis qui se inspicit, qui æstimari fastidiat: qui certos sibi vni honores inter dimicantes competitores æquum censeat esse: qui se arbitrio vestro eximat: qui vestra necessaria suffragia pro voluntariis, & serua pro liberis faciat. Omitto Licinium Sextiumque, quorum annos in perpetua potestate tanquam regum in Capitolio numeratis. Quis est hodie in ciuitate tam humilis, cui non via ad consulatum facilior per istius legis occasionem, quã nobis ac liberis nostris fiat, siquidem nos, ne quum volueritis quidem, creare interdum poteritis, istos, etiam si nolueritis, necesse sit? De indignitate satis dictum est: etenim dignitas ad homines pertinet. Quid de religionibus atq; auspiciis, quæ propria deorum immortalium contemptio atque iniuria est, loquar? Auspiciis hanc urbem conditam esse, auspiciis bello & pace, domi militiæque omnia geri, quis est qui ignoret? Penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? Nempe penes patres, nam plebeius quidẽ magistratus nullus auspiciò creatur: nobis adeo propria sunt auspicia vt non solum quos populus creat patricios magistratus, non aliter quã auspiciò creet: sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspiciò interregem prodamus, & priuatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent. Quid igitur aliud quã tollit ex ciuitate auspicia, qui plebeios consules creando, à patribus, qui soli ea habere possunt, aufert? Eludant nunc licet religiones. Quid enim est si pulli non pascentur? si ex cauea tardius exierint? si occinuerit auis? Parua sunt hæc: sed parua ista non contemnendo maiores nostri maximam hanc rem fecerunt: nunc nos, tanquam iam nihil pace deorum opus sit, omnes ceremonias polluimus. Vulgò ergo pontifices, augures, sacrificuli, reges creentur: cuiuslibet apicem dialem, dummodò homo sit, imponamus: tradamus ancilia, penetralia, deos deorumq; curam, quibus nefas est: non leges auspiciò ferantur, non magistratus creentur, nec centuriatis nec curiatis comitiis patres auctores fiant: Sextius & Licinius tanquam Romulus ac Tatius in vrbe Romana regnerent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant. tanta dulcedo est ex alienis fortunis prædandi. Nec in mentem venit, altera lege solitudines vastas in agris fieri, pellẽdo finibus dominos: altera fidem abrogari, cum qua omnis humana societas tollitur. Omnium rerum causa vobis antiquandas censeo istas rogationes. quod faxitis, deos velim fortunare.

Ex septimo libro ab vrbe condita.

ORATIO SERVII TVLLII AD DICTATO-

rem, vt militibus pugnandi faceret  
potestatem.

ARGVMENTVM.

C. Sulpitius dictator, & M. Valerius magister equitum, aduersus Gallos, qui iam ad Pedum confederant, exercitus duos duxerant. Dictator non ausus primo aduentu se belli fortuna committere, trahebat bellum, verando nequis iniussu suo extra ordinem in hostem pugnaret. Milites agrè illud passi, multa factabant in dictatorem, criminabanturque patres quòd per dictatorem non per consules rem geri placuisset. Tandem Seruio Tullio septimo primipilo dant negotium vt ab imperatore pugnandi copiam impetraret. Is apud dictatorem hac oratione rem peragit.

**S**ilicet, dictator, condemnatum se vniuersus exercitus à te ignauia ratur, & propè ignominia causa destitutum sine armis, orauit me vt suam causam apud te agerem. Equidem, sicubi loco cessum, si terga data hosti, si signa fœdè amissa obiici nobis possent: tamen hoc à te impetrari æquum censerem, vt nos virtute culpam nostram corrigere, & abolere flagitii memoriam noua gloria patereris. Etiam ad Alliam fusæ legiones, eandem quam per pauorem amiserant patriam, profectæ postea ab Veis virtute recuperauerunt. Nobis deum benignitate, felicitate tua populique Rom. & res & gloria est integra: quam de gloria vix dicere ausim, si nos, & hostes haud secus quàm fœminas abditos intra vallum omnibus contumeliis eludunt: & tu imperator noster (quod ægrius patimur) exercitum tuum sine armis, sine animis, sine manibus iudicas esse: & prius quàm expertus nos esses, de nobis ita desperasti vt te mancorum ac debiliu ducem iudicares esse. Quid enim aliud esse causæ credamus cur veteranus dux, fortissimus bello, compressis (quod aiunt) manibus sedeat? Vt cunque enim res se habeat, te de nostra virtute dubitasse videri, quàm nos de tua, verius est. Sin autem non tuum istud sed publicum est consilium, & consensus aliquis patrum, non Gallicum bellum, nos ab vrbe, à penatibus nostris ablegatos tenet: quæso vt quæ dicam, non à militibus imperatori dicta censeas, sed à plebe patribus: quæ, sicut vos vestra habetis consilia, sic se sua habituram dicat. Quis tandem succenseat milites nos esse, non seruos vestros: ad bellum, non ad exilium missos: si quis det signum, in aciem educat, vt viris ac Romanis dignum sit, pugnatuos: si nihil armis opus sit, otium Romæ potius quàm in castris acturos. Hæc dicta sint patribus. Te, imperator, milites tui oramus vt nobis pugnandi copiam facias. tum vincere cupimus, tum duce te vincere, tibi lauream insignem deferre, tecum triumphantes urbem inire, tuum sequentes currum, Iouis optimi maximi templum gratantes ouantesque adire.

ORATIO M. POPILII CONSVLIS, QVA  
suos milites adhortatur.

ARGVMENTVM.

Scipione consule morbo implicito, M. Popilio collega ex plebe bellum permissum erat aduersus Gallos, qui iam in agro Latino castra fixerant. Victoria belli eius iam ad Romanos inclinata erat, quum consulis leuus humerus machæra propè traicitur. Eo vulnere permoti languidique milites facti, iam propemodum certam victoriam amiserant, quum consul alligato vulnere ad prima signa progressus, in hæc verba militem adhortabatur,

**Q**uid stas miles: non cum Latino Sabinoque hoste res est, quem victum armis, socium ex hoste facias: in belluas strinximus ferrum: hauriendus aut, landus est sanguis. Propulistis à castris: supina valle præcipites egistis: stratis corporibus hostium superstatis. Complete eadem strage campos qua montes replestis. Nolite expectare dū stantes vos fugiant: inferenda sunt signa, & vadendum in hostem.

## ORATIO LEGATORVM CAMPANORVM

in senatu, qua auxilium aduersus Samnites petunt.

## ARGVMENTVM.

Samnites societate atque amicitia cum Romanis iuncti, Sidicinis iniustum bellum inferēbant: quibus quum Sidicini se impares viderent, Campanos socios belli ascuerant. Campani fluentes luxu, quum viribus non dimicarent, in agrum Sidicinum pelluntur. Quam rem quū Samnites animaduertent, omissis Sidicinis, in Campanorum oppida, vnde plus prædæ atque gloriæ esset, bellum conuertunt. Iamque cæsa erat multitudo magna iuuenum: qui superfuerant, intra mœnia vrbs Capuæ pulsi: quum Romam oratores questum iniurias mittere coguntur, qui hunc in modum causam Campanorum egerunt,

**P**Opulus nos Campanus legatos ad vos, P. C. misit, amicitiam in perpetuum, auxilium præfens à vobis petiturum. quam si secundis nostris rebus petissemus: sicut cœpta celerius, ita infirmiore vinculo contracta esset. Tunc enim, vt qui ex æquo nos venisse in amicitiam meminissemus, amici forsitan pariter ac nunc, subiecti atque obnoxii vobis minus essemus. Nunc misericordia vestra conciliati auxiliōque in dubiis rebus defensi, beneficium quoque acceptum colamus oportet, ne ingrati atque omni ope diuina humanāque indigni videamur. Neque hercule, quòd Samnites priores amici sociique vobis facti sunt, ad id valere arbitror ne nos in amicitiam suscipiamur, sed vt vetustate & gradu honoris nos præstent. Neque enim fœdere Samnitium, nequa noua iungeretis fœdera, cautum est. Fuit quidem apud vos semper satis iusta causa amicitiae, velle cum vobis amicum esse qui vos appeteret. Campani, etsi fortuna præfens magnificè loqui prohibet, non vrbs amplitudine, non agri vbertate vlli populo, præterquam vobis, cedentes, haud parua (vt arbitror) accessio bonis rebus vestris in amicitiam venimus vestram. AEquis Volscisque, æternis hostibus huius vrbs, quandocunque se mouerint, ab tergo erimus: & quod vos pro salute nostra priores feceritis, id nos pro iperio vestro & gloria semper faciemus. Subactis iis gentibus quæ inter nos vosque sunt, (quod propediem futurum spondet & virtus & fortuna vestra) continens imperium vsque ad nos habebitis. Acerbum & miserum est quod fateri nos fortuna nostra cogit. Eò ventum est, P. C. vt aut amicorū aut inimicorum Campani simus. si defenditis, vestri: si deseritis, Samnitium erimus. Capuam ergo & Campaniam omnem vestris an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. Omnibus quidem, Romani, vestram misericordiam vestrumque auxilium æquum est patere, iis tamen maximè, qui eam implorantibus aliis, auxilium dum supra vires suas præstant, omnes ipsi in hanc necessitatem venerunt. Quamquam pugnauimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis, quum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & vbi conflagraffent Sidicini, ad nos traiecturum illud incendium esse. Nec enim nunc, quia dolent iniuriam acceptam Samnites, sed quia gaudent sibi oblatam esse causam, oppugnatum nos veniunt. An si vltio iræ hæc & non occasio cupiditatis explendæ esset, parum fuit quòd semel in Sidicino agro, iterum in Campania ipsa legiones nostras cecidere? Quæ est ista tam infesta ira quam per duas acies fusus sanguis explere non potuerit? Adde huc populationem agrorum, prædas hominum atque pecudum aetas, incendia villarum ac ruinas, omnia ferro ignique vastata. Hiscine ira expleri non potuit? sed cupiditas explenda est: ea ad oppugnandam Capuam rapit. Aut delere urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt. Sed vos potius Romani beneficio vestro occupate eam, quàm illos habere per maleficium sinatis. Non loquor apud recusantem iusta bella populum: sed tamen si ostenderitis auxilia vestra, ne bello quidem arbitror vobis opus fore. Vsque ad nos contemptus Samnitium peruenit, supra non ascendit. Itaque umbra vestri auxilii, Romani, tegi possumus: quicquid deinde habuerimus, quicquid ipsi fuerimus, vestrum id omne existimaturi. vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua vrbs frequentabitur: conditorum, parètum, deorum immortalium numero nobis eritis: nulla colonia vestra erit quæ nos obsequio erga vos, fidèque superet. Annuite, P. C. nutum numenque vestrum inuictum Campanis, & iubete sperare incolumè Capuam futuram. Qua frequentia omnium generum multitudinis profequente deditis nos illinc profectos? quàm omnia votorum & lacrymarum plena reliquisset in qua nunc expectatione senatum populūque Campanum, coniuges,

liberósque nostros esse? Stare omnem multitudinem ad portas viam hinc ferentem prospectantes, certum habeo, quid illis nos, P. C. sollicitis ac pendentibus animis renuntiare iubeatis. Alterum responsum, salutem, victoriam, lucem ac libertatem: alterum ominari horreo quæ ferat. Proinde ut aut de vestris futuris sociis atque amicis, aut nusquam vllis futuris, nobis consulite.

ORATIO ROMANORVM, QVA PRAECE-  
denti Campanorum legatorum orationi  
respondent.

**A**Vxilio vos, Campani, dignos censet senatus: sed ita vobiscum amicitiam institui par est, nequa vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum foedere iuncti sunt: itaque arma, deos priusquam homines violatura, aduersus Samnites vobis negamus. Legatos, sicut fas iusque est, ad socios atque amicos precatum mittemus nequa vobis vis fiat.

ORATIO LEGATORVM CAMPANORVM, QVA  
precedenti Romanorum orationi  
respondent.

**Q**Vandoquidem nostra tueri aduersus vim atque iniuriam iusta vi nõ vultis, vestra certè defendetis. Itaque populum Campanum urbemque Capuam, agros, delubra deum humanaque omnia in vestram, P. C. populique Romani ditionem dedimus: quicquid deinde patiemur, dedititii vestri passuri.

ORATIO M. VALERII CORVINI, QVA  
suos adhortatur.

ARGVMENTVM.

Ad Samnites Campanorum nomine Romani legati missi, quum re infecta redirent, retulerunt à Samnitibus responsum, id se bellum perfecturos: atque quum adhuc illic essent, multis imperatum esse ut prædas ex agro Campano agerent. Senatus his concitatus, feciali ad res rependendas, simul indicendum bellum, misso, decreuit ut Valerius & Cornelius consules eo exercitus ducerent. Valerius contra Samnites profectus, in hunc modum milites ad pugnandum adhortabatur,

**F**Acta mea, non dicta, vos, milites, sequi volo, nec disciplinam modò sed exemplum etiam à me petere. Non factionibus modò, nec per coitiones vsitatas nobilibus, sed hac dextera mihi tres consulatus summamque laudem peperit. Fuit quum hoc dici poterat. Patricius enim eras, & à liberatoribus patriæ ortus: & eodem anno familia ista consulatum, quo vrbs hæc consulem habuit, nunc iam nobis patribus vobisque plebeiis promiscuus consulatus patet: nec generis, ut antè, sed virtutis est præmium. Proinde summum quodque spectate, milites, decus. Non si mihi nouum hoc Coruini cognomen diis auctoribus homines dedistis, Publicolarum vetustum familiae nostræ cognomen memoria excessit: semper ego plebem Romanam militiae domique, priuatus, in magistratibus paruis magnisque, æquè tribunus ac consul eodem tenore per omnes deinceps consulatus colo atque colui. Nunc quod instat, diis bene iuuantibus, nouum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite.

ORATIO EXHORTATORIA P. DECII TRIBVNI  
militum ad A. Cornelium consulem, quum spes elabendi  
non videretur.

ARGVMENTVM.

A. Cornelius consul exercitum in Samnium duxerat: ibi eo ipso tempore quo Valerius Corvinus collega Samnites vicit, milites incautè in saltum quandam caua valle peruisum circaque ab hoste infestum induxerat, vnde non prius hostem imminemem vidit, quam iam turò recipi signa non possent. Eum necessitate illa territum, P. Decius trib. militum, quæ res erumpendum, inducit,



**V**idésne tu A. Corneli, cacumen illud supra hostem? Arx illa est spei salutisque nostrae: si eam, quoniam cæci reliquere Samnites, impigrè capimus, nec tu milia plus quam vnius legionis principes hastatos dederis: cum quibus vbi euasero in summum, perge hinc omni liber metu, teque & exercitum serua. neque enim moueri hostis, subiectus nobis ad omnes ictus, sine sua pernicie poterit. Nos deinde aut fortuna populi Romani, aut nostra virtus expedit.

ORATIO EIVSDEM P. DECII QVA SVOS  
ad erumpendum ex colle occupato adhortatur.

ARGUMENTVM.

P. Decius tribunus militum, indicato loco cõsuli quò euaderet, cum præsidio ad collis verticem peruenerat. eò Samnites diu multumque progredi conati, huc atque illuc signa vertebant: modò collem circumdabant, modò viam patefaciebant. Decius spe pugnandi destitutus, primùm centuriones ad se vocat, quibus hostium inertiã exponit, deinde milites ad erumpendum adhortatur.

**Q**uam illa inscitia belli ac pigritia est? aut quonam modo isti ex Sidicinis Campa nisque victoriam pepererunt? Huc atque illuc signa moueri, ac modò in vnum con ferri, modò educi videtis. Opus quidem incipit nemo, quum iam circumdati vallo potuerimus esse. Tum verò nos similes istorum simus si diutius hinc moremur quam com modum sit. Agitedum, ite mecum: vt dum lucis aliquid superest, quibus locis præsidia ponant, quã pateat hinc exitus, exploremus. *Hæc omnia sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustrauit. Vigiliis deinde dispositis, cæ teris omnibus tesseram dari iubet, ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se conuenirent. Quò ubi, sicut edictum erat, taciti conueniunt, Hoc silentium, milites (inquit) omissio militari assensu, in me audiendo seruandum est. Vbi sententiam meam vobis peregero, tum, quibus eadem placebunt, in dexteram partem taciti transibitis: quæ pars maior erit, eius stabitur consilio. Nunc quæ mète agitem audite. Non fuga delatos nec inertia relictos hinc vos circunuenit hostis: virtute cepistis locum, virtute hinc oportet euadatis. Veniendo huc, exercitum egregium populi Romani seruastis: erumpendo hinc, vosmetipsos seruate. Digni estis qui pauci pluribus opem tuleritis, ipsi nullius auxilio egueritis. cum eo hoste res est qui hesternò die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam vsus nõ sit: hunc tam opportunum collem imminentem capiti suo non antè viderit, quàm captum à nobis: nos tam paucos tot ipse millibus hominum nec ascensu arcuerit: nec tenentes locum, quum diei tantum superesset, vallo circumdederit. Quem videntem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum oportet fallatis, imò necesse est. In eo enim loco res sunt nostræ, vt ego vobis magis necessitatis vestræ index, quàm consilii author sim. neque enim, maneat an abeat hinc, deliberari potest, quum præter arma & animos armorum memores nihil vobis fortuna reliqui fecerit: fame & siti moriendum sit, si plus quàm viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo vna est salus, erumpere hinc, atque abire. Id aut interdium aut nocte faciamus oportet. Ecce autem aliud minus dubium: quippe, si lux expectetur, quæ spes est, non vallo perpetuo fossaque nos septurum hostem, qui nunc corporibus suis subiectis vndique cinxerit (vt videtis) collem? Atqui si nox opportuna est eruptioni, sicut est: hæc profectò noctis aptissima hora est. Signo secundæ vigiliæ conuenistis, quod tempus mortales somno altissimo premit. Per corpora sopita vadetis, vel silentio incautos fallentes, vel sentientibus clamore subito pauorem iniecturi. Me modò sequimini, quem sequuti estis: ego eandem, quæ duxit huc, sequar fortunam. Quibus hæc salutaria videntur, agitedum in dextram partem pedibus transite.*

ORATIO M. VALERII CORVINI DICTA-  
toris ad coniuratores & seditiosos milites, qua dehortatur à pugna contra patriam.

ARGUMENTVM.

Deliniri milites Romani deliciis voluptatibusque quas abundè Campania subministrabat, ihibere consilia adimendæ Campaniæ Capuæ. Claudius Martius Rutilius consul ea re

cognita, rumore spargit per oppida ea Campaniæ per quæ milites ad præsidia dispersi erant. Item suos in æstiva milites quum eduxisset, aliis aliisque causis dimittendi milites confectis, Romam mittebat: quos ibi collega remorabatur. Iam ceteri quum neminem ex iis qui dimittebantur, redire ad castra viderent, emanasse sua consilia rebantur: quum cohors vna militum in saltu confedit, qui eos omnes quos consul mittebat, sibi adiungebant. Cui multitudine iam validæ quum nihil ad formam exercitus deesset præter ducem, T. Quintium quendam Romanum, quem colere agrum audiuerant, sibi imperatorem deligunt, renitentemque imperare cogunt. Hoc duce iam ad octauum lapidem viæ progressi erant, ad inferenda Romanis arma, quum M. Valerium Coruinum dictatorem contra se venientem conspicientes, expectandum esse censent. Ad colloquium deinde ventum est: ac prior Valerius in hæc verba, eos à pugna dehortatus est: T. Quintius deinde dux eorum.

**D**Eos immortales, milites, vestros publicos meosque ab vrbe proficiscens ita adoravi, veniamque supplex poposci, vt mihi de vobis concordia partæ gloriam, non victoriam darent. Satis fuit eritque vnde belli decus pariat: hinc pax petenda est. Quod deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, eius me compotem voti vos facere potestis, si meminisse vultis, non vos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere: si illos colles, quos cernitis, patriæ vestræ esse: si hunc exercitum, ciuium vestrorum: si me consulem vestrum, cuius ductu auspicioque priore anno bis legiones Samnitium fudistis, bis castra vi cepistis. Ego sum M. Valerius Corvinus, milites: cuius vos nobilitatem beneficiis erga vos, non iniuriis sensistis: nullius superbæ in vos legis, nullius crudelis fenatus cõsulti author: in omnibus meis imperiis in me seuerior quàm in vos. Ac sicui genus, sicui sua virtus, sicui etiam maiestas, sicui honores subdere spiritus potuerunt: iis eram natus: id specimen mei dederam, ea ætate consulatum adeptus eram, vt potuerim tres & vigin ti annos natus consul patribus quoque ferox esse, non solum plebi. Quod meum factum dictumve consulis grauius quàm tribuni audistis? Eodem tenore duos insequentes consulatus gessi: eodem hæc imperiosa dictatura geretur, vt neque in hos meos & patriæ meæ milites mitior quàm in vos (horreo dicere) hostes. Ergo vos prius in me strinxeritis ferrum, quàm in vos ego: istinc signa canent, istinc clamor prius incipiet atque impetus, si dimicandum est. Inducite in animum quod non induxerunt patres auique vestri, non illi qui in Sacrum montem secesserunt, non hi qui postea Auentinum infederunt. Expectate dum vobis singulis, vt olim Coriolano, matres coniugisque crinibus passis obuia ab vrbe veniant. Tum Volscorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieuerunt: vos Romanus exercitus non destiterit impio bello? T. Quinti, quocunq; istic loco seu volens seu inuitus constitisti, si dimicandum erit, tum tu in nouissimos te recipito: fugeris etiam honestius, tergumque ciui dederis, quàm pugnaveris contra patriam. Nunc ad pacificandum bene atque honestè inter primos stabis, & colloqui huius salutaris interpretis fueris. Postulate æqua, & ferte: quanquam vel iniquis standum est potius, quàm impias inter nos conferamus manus.

### ORATIO T. QUINTII DVCIS SEDITIO.

forum qua eos ad concordiam exhortatur.

**M**E quoque milites, si quis vsus mei est, meliorem pacis quàm belli habetis ducem. Non enim illa modò Volscus aut Samnis, sed Romanus verba fecit, vester cõsul, vester imperator, milites: cuius auspicia pro vobis experti, nolite aduersus vos velle experiri. Qui pugnarent vobiscum infestius, & alios duces senatus habuit: qui maxime vobis suis militibus parceret, cui plurimum vos imperatori vestro crederetis, eum elegit. Pacem, etiam qui vincere possunt, voluit. quid nos velle oportet? quin ommissis ira & spe fallacibus authoribus, nos ipsos nostraque omnia cognita permittimus fidei?

Ex octauo

Ex octauo libro ab vrbe condita.

## ORATIO ANNIÏ SETINI PRAETORIS

Latinorum, ad suos.

## ARGUMENTVM.

Latini coniuncti cum Campanis aliisque populis, Samnitibus bellum inferebant: Samnites, quum Latini etiam superiores ex Samnio fortè excessissent, tempus idoneum illud esse legationibus faciendis ad petendum auxilium rati, oratores Romam mittunt, qui sociorum iniurias exponerent. Latinos tum Romani timebant ne arguendo abalienarent. Itaque primò arguere non ausi, deinde vbi de defectione certius cognouerunt, decem principes mandant, quibus imperarent quæ vellent. Praetor tum Latinorum erat L. Annius Setinus, qui delectus ad legationem, priusquam cum reliquis nouem proficisceretur, ad senatū refert, quid Romanis responderi placeret, quod attineret ad ea quæ velle eos diceret. Aliud aliis sentientibus, sententia sua peracta, ita rursus loquutus est,

**Q**uamquam ipse ego retuli quid responderi placeret, tamē magis ad summam rerum nostrarum pertinere arbitror, quid agendum nobis, quàm quid loquendum sit. Facile erit explicatis consiliis accommodare rebus verba. Nam si etiam nunc sub vmbra foederis æqui seruitutem pati possumus, quid adest quin proditis Sidicinis, nō Romanorum solum sed Samnitium quoque dicto pareamus, respondeamusque Romanis, nos, vbi innuerint, posituros arma: Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos, si foedus est, si societas, æquatio iuris est: si cōsanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nunc gloriari licet: si socialis vllus exercitus illis est, quo adiuncto duplicent vires suas, quem secernere consules ab se bellis propriis sumendis ponendisque nolint: cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis consul datur? Vbi pars viriū, ibi & imperii pars est. Est quidem nobis hoc per se haud nimis amplum, quippe concedentibus Romam caput Latio esse: sed vt amplum videri posset, diuturna patientia fecimus. Atqui, si quando vri quam consociandi imperii, vsurpandæ libertatis tempus optastis: en hoc tempus adest, & virtute vestra & deū benignitate vobis datum. Tentastis patientiam, negando militem, quis dubitat exarsisse eos, quum plus ducentorum annorum morem solueremus? pertulerunt tamen hunc dolorem. Bellum nostro nomine cum Pelignis gessimus, qui ne nostrorum quidem finium per nos tuendorum ius antea dabant: nihil intercesserunt. Sidicinos in fidem receptos, Campanos ad nos ab se descisse, exercitus nos parare aduersus Samnites foederatos suos audierunt, nec mouerunt se ab vrbe. Vnde hæc illis tanta modestia, nisi à cōscientia viriū & nostrarum & suarum? Idoneos authores habeo, querentibus de nobis Samnitibus ita responsum ab senatu Romano esse, vt facillè appareret ne ipsos quidem iam postulare vt Latium sub Romano imperio sit. Vsurpate modò postulando eo quod illi vobis taciti concedunt. Siquem hoc dicere metus prohibet: en ego ipse, audiēte nō populo Rom. modò, senatūque, sed Ioue ipso, qui Capitolium incolit, profiteor me dicturum, vt si nos in foedere ac societate esse velint, consulem alterum à nobis, senatūque partem accipiant.

## ORATIO ANNIÏ EIVSDEM AD P. C.

Romanorum, vt alter consul ex Latinis fieret.

## ARGUMENTVM.

Latini Anno permiserant vt ageret ac diceret quæ è Rep. Latinorum, fidēque sua videntur. Is in senatum cum cæteris legatis admissus, quum T. Manlium consulem audiret ita de ea re agentem, vt ne Samnitibus foederatis Romanorum bellum à Latinis inferretur, confestim rem ipsam narrare in hanc formam ingressus est,

**T**empus erat, Tite Manli, vósque P. C. tandem iam vos nobiscum nihil pro imperio agere, quum florentissimum deū benignitate nunc Latium armis virisque, Samnitibus bello victis, Sidicinis Campanisque sociis, nunc etiam Volscis adiunctis, videretis: colonias quoque vestras Latinū Romano prætulisse imperio. Sed quoniam vos regno impotenti finē vt imponatis, nō inducitis in animū: nos quanquā armis possumus afferere Latium in libertate, cōsanguinitati tamen hoc dabimus, vt cōditiones pacis feramus æquas

vtrisque: quoniam vires quoque æquari diis immortalibus placuit. Cōsulem alterum Roma, alterum ex Latio creari oportet: senatus partem æquam ex vtraque gente esse: vnum populum, vnam rempub. fieri. Et, vt imperii eadem sedes sit, idẽmque omnibus nomen, quoniam ab vterutra parte concedi necesse est: quod vtrisque bene vertat, sit hæc sanè patria potior, & Romani omnes vocemur.

ORATIO T. MANLII CONSVLIS AD  
legatos Latinorum.

ARGVMENTVM.

Hoc proximæ orationi cohæret. Ea Annii oratione T. Manlius adeo permotus irarumque plenus fuit, vt diceret, si id ipsum illud quod petierat, approbarent patres, se palam in senatu quencunque Latinum vidisset, inrersecturum. Conuersus deinde ad simulacrum Iouis, ita rei atrocitatem & indignitatem referebat,

**A**Vdi Iupiter hæc scelera, audi te ius fãsque. Peregrinos consules & peregrinum senatum in tuo Iupiter augurato templo captus atque ipse oppressus, visurus es? Hæc cene fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis patribus vestris, Latini: hæc L. Tarquinius vobiscum postea fœdera fecit? Non venit in mentem pugna apud Regillum lacũ: adeo & cladium vestrarum veterum, & beneficiorum nostrorum erga vos obliti estis?

ORATIO T. MANLII CONSVLIS AD

T. Manlium filium, qua eum accusat quòd  
in hostem ipsius iniussu  
pugnauisset.

ARGVMENTVM.

Bello Latino, quod factum fuit quum Latini non audiri de altero cõsule ex Latio creando, in Campaniam exercitum duxerunt: consules docti hostes lingua eadẽ, institutis, moribus vti, quibus Romani: milites item militibus, centuriones centurionibus congruere: edixerant nequis in hostem extra ordinem pugnaret. T. Manlius erat T. Manlii consulis filius, qui laceffitus à Geminio quodam Tusculano per cõtumeliam, congressus equitem à iugulo ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit. Manlius consul ea re cognita, filium pater his verbis obiurgatum, securi percussit.

**Q**Vandoquidem tu, Tite Manli, neque imperium consulare, neque maiestatem patriam veritus, aduersus edictum nostrum extra ordinẽ in hostem pugnaisti, & quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, soluisti, meque in eam necessitatem adduxisti, vt aut Reip. mihi, aut mei meorumque obliuiscendum sit, nos potius nostro debito plectemur, quàm resp. tanto suo damno nostra peccata luat. Triste exemplum, sed in posterum salubre iuuentuti erimus. Me quidem cum ingenua charitas liberum, tum specimen istud virtutis deceptum vana imagine decoris, in te mouet. Sed quum aut morte tua facienda sint consulum imperia, aut impunitate in perpetuum abroganda: nec te quidem, siquid in te sanguinis nostri est, recusare censeam quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam poena restituas. I licitor, deliga ad palum.

ORATIO FVRII CAMILLI CON-  
sulis ad patres de Latinis referentis.

ARGVMENTVM.

L. Furius Camillus & C. Menius consules, ad Pedum Latinorum oppidum expugnandum profecti, ita rem peregerant vt Menius ad flumen Asturam Aricinos, aliosque qui auxilio Pedanis venerant, præter spem aggressus fuderit, Camillus oppidanis intra moenia cõpulsis, oppidum scalis cepit. Iis etiã insignibus victoriis non contenti, longius progressi non prius quieuerunt, quàm aut expugnando aut in deditioem accipiendo ciuitates, totũ Latium subegere. Camillus deinde Romam regressus, in senatu de Latinis ita retulit,

**P**atres c. quod bello armisque in Latio agendum fuit, id iam deũm benignitate, ac virtute militum ad finem venit. Cæsi ad Pedum Asturamque sunt exercitus hostium: oppida Latina omnia, & Antium ex Volscis, aut vi capta, aut recepta in deditioem præsidis tenentur vestris. Reliqua consultatio est, quoniam rebellando sepius nos solici-

tant, quónam modo perpetua pace quietos obtineamus. Dii immortales ita vos potentes huius consilii fecerunt, vt, sit Latium; deinde an non sit, in manu vestra posuerint. Itaque pacem vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum, vel sauiendo vel ignoscendo potestis. Vultis crudeliter consulere in deditos, victosque? licet delere omne Latium, vastasque inde solitudines facere; vnde sociali egregio exercitu per multa bella magna que saepe vsi estis. Vultis exemplo maiorum augere rem Romanam, victos in ciuitatem accipecndo: Materia crescendi per summam gloriam suppeditat. Certè id firmissimum longè imperium est, quo obedientes gaudent. Sed maturato opus est, quicquid statuere placet. Tot populos inter spem metumque suspensos animi habetis. Et vestram itaque de eis curam quamprimùm absolui, & illorum animos, dum expectatione stupent, seu poena, seu beneficio praecoccupari oportet. Nostrum enim fuit efficere vt omnium rerum vobis ad consulendum potestas esset: vestrum est decernere quid optimum vobis reique publicae sit.

## ORATIO L. PAPYRII DICTATORIS QVA

Fab. Maximum accusat quod aduersus edictum pugnasset.

## ARGVMENTVM.

Bellum geri aduersus Samnites Romanis placebat, cui Camillus consul praeficitur. Is graui morbo redire Romam coactus, dictatorem dicit L. Papyrium Cursorem, hic Q. Fabium Maximum magistrum equitum. At quum in Samnium incertis auspiciis dictator profectus, a pullario moneretur vt Romam ad repetenda auspicia regrederetur: edixerat ne interim magister equitum pugnam occiperet. Is tamen, nactus forte occasione bene gerenda rei, acie cum hostibus configit. Dictator non ita multo post victoriam rediens, his interrogationibus magistrum equitum increpat, atque accusabat,

**Q**uæro de te Q. Fabi, quum summum imperium dictatoris sit, pareant ei consules, regia potestas, praetoresque, iisdem auspiciis quibus consules, creati: æquum censeas necne, magistrum equitum dicto audientem esse. Itemque illud interrogo, quum me incertis auspiciis profectum ab domo scirem, vtrum mihi turbatis religionibus Resp. in discrimen committenda fuerit, an auspicia repetenda, nequid diis dubiis agerem. Simul illud, quæ dictatori religio impedimento ad rem gerendam fuerit, num ea magister equitum solutus ac liber potuerit esse. Sed quid hæc ego interrogo? quum si ego tacitus abissem, tamen tibi ad voluntatis interpretationem meam dirigenda tua sententia fuerit? Quin tu respondes, veterimne quicquam rei me absente gerere, veterimne signa cum hostibus conferre. Quomodo tu imperio meo spreto, incertis auspiciis, turbatis religionibus, aduersus morem militarem, disciplinam maiorum, & numen deorum, ausus es cum hoste confingere? Ad hæc quæ interrogatus es responde: extra ea caue vocem mittas. Accede licitor, accede.

## ORATIO M. FABII MAXIMI PRO FILIO

ad populum prouocantis à dictatore.

## ARGVMENTVM.

Hoc ad superius pertinet. Iam Papyrius dictator spoliari Q. Fabium magistrum equitum se purgantem, virgisque & secures expediri iussit, quum implorata militum fide ad triarios recipitur, qui in omnem concionem tumultum miscebant. Alii dictatorem orabant vt parceret, alii inclementem increpabant. Postero die Fabius adesse iussus, quum ab aliis didicisset infestius dictatorem sauiturum: clam ex castris Romam profugit. Quod vbi Papyrius cognouit, Romam cum licitoribus & ipse veniens, quum Fabium comprehendere iuberet, primores patrum, quibus iam Fabii pater atrocitatem rei exposuerat, pro eo deprecabantur. At quum nihilo fecius dictator in incepto perstaret, M. Fabius pater ita pro filio ad populum se prouocare dixit,

**Q**vandoquidem apud te nec autoritas senatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitasque magistrum equitum à teipso nominati valet, nec preces, quæ saepe hostera mitigauere, quæ deorum iras placant: tribunos pleb. appello, & prouoco ad populum, eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus iudicium, iudicem fero: qui certè vntus plus quam dictatura tua potest polleretque. Videro, cessurumne prouocationi sis cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit.

## ORATIO PAPYRII DICTATORIS AD

populum de absoluteione Q. Fabii magistri equitum.

## ARGUMENTVM.

Papyrius dictator post longam orationem, qua pater rei atrocitatem exaggerat, etiã tum perstaturum se in cœpto dicebat: quum populus Rom. orare cœpit vt sibi pœna magistri equitum remitteretur: tribuni item plebis, vt veniam Q. Fabii adolescentiã daret: pater prouolutus ad genua iram deprecatus est. His atque aliis tandem motus, damnatum iam Q. Fabium his verbis populo Romano & tribunitiã potestati se donare profiteretur.

**B**Ene habet, Quirites, vicit disciplina militaris, vicit imperii maiestas: quæ in discrimine fuerunt, an vlla post hanc diem essent. Non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum imperatoris pugnavit: sed noxæ damnatus, donatur populo Romano, donatur tribunitiã potestati, precarium, non iustum auxilium ferenti. Viue Q. Fabi, felicior hoc consensu ciuitatis ad tuendum te, quàm qua paulo antè exultabas victoria. Viue id facinus ausus, cuius tibi ne parens quidem, si eodem loco fuisset quo fuit L. Papyrius, veniam dedisset. Mecum vt voles reuerteris in gratiam: populo Romano, cui vitã debes, nihil maius præstiteris, quàm si hic tibi dies satis documenti dederit vt bello ac pace pati legitima imperia possis.

Ex nono libro ab vrbe condita.

## ORATIO CLAVDII PONTII SAMNITVM

imperatoris, postquam legatione nihil factum esse vidit.

## ARGUMENTVM.

Vicini Samnites quum de pace Romæ per legatos agerent, annuas modò inducias impetrarant, quas auctore Brutulo Papyrio ante anni finem rumpunt. Eo prælio capti multi Romani, captæ sunt res multæ, quas non ita multo post rursus vicini cum captiuis remittunt, Papyriũque mortuum, induciarum videlicet ruptorem, cum bonis, spe pacis faciendæ, dedunt. Legati re infecta redeunt: quod vbi Claudius Pontius Samnitum imperator cognouisset, superbiam inhumanitatemque Romanorum ita infectatus est,

**N**E nihil actum hac legatione cœseatis, expiatum est quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit. Satis scio, quibuscunque diis cordi fuit subigi nos ad necessitatem dedendi res quæ à nobis ex fœdere repetitæ fuerant, iis non fuisse cordi tam superbe ab Romanis fœderis expiationem spretam. Quid enim vltra fieri ad placandos deos mitigandõsq; homines potuit, quã quod nos fecimus? Res hostiũ in præda captas, quæ belli iure nostræ videbantur, remisimus: auctores belli, quia viuos non potuimus, perfunctos iam fato dedidimus: bona eorum, nequid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romanam portauimus. Quid vltra tibi Romane, quid fœderi, quid diis arbitris fœderis debeo? Quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum iudicem feram? neminem neque priuatum, neque publicum fugio. Quòd si nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices intolerandæ superbiæ confugiam, & precabor vt iras suas vertant in eos quibus non suæ redditæ res, non alienæ accumulatæ satis sint: quorum sæuitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona sequentia domini deditioem exfatient: placari nequeant, nisi hauriendum sanguinem, laniandãq; viscera nostra præbuerimus. Iustũ est bellum, Samnites, quibus necessarium, & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. Proinde quum rerum humanarum maximum momentum sit, quàm propitiis rem, quàm aduersis agant diis, pro certo habere, priora bella aduersus deos magis quàm homines gessisse: hoc quod instat, ducibus ipsis gesturos.

ORATIO L. LENTULI PRINCIPIS LEGATORUM Romanorum ad exercitum & consules, qua suam de ditione sententiam exponit.

ARGUMENTVM.

Inter duos saltus clausus erat Romanus exercitus, unde fraude hostium liberè erumpere ac euadere non potuisset. Timor torporeque insolitus omnes sæpe inde elabi frustra conatos tenebat: iamque omnium rerum inopia laborabatur, quum victi necessitate legatos ad Samnites de pace mittunt. Legati condiciones tristes à Samnitibus latas referunt, pro quibus, vel contra quas, velut indignas nomine Romano, quum consules loqui non audent, tum L. Lentulus princeps legatorum, quid censeat faciendum, in hanc sententiam exposuit,

**P**atrem meum, consules, sæpe audiui memorantem se in Capitolio unum non fuisse auctorem senatui redimendæ auro à Gallis ciuitatis, quando nec fossa valloque ab ignauissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent, & erumpere si non sine periculo magno, tamè sine certa perniciè possent. Quòd si, ut illis decurrere ex Capitolio armatis in hostem licuit (quo sæpe modo obsessi in obsidentes eruperunt) ita nobis æquo aut iniquo loco dimicandi tantummodo cum hoste copia esset: non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem mortem pro patria præclaram esse fateor, & me vel deuouere pro populo Rom. legionibusque, vel in medios me immittere hostes paratus sum. Sed hinc patriam video, hinc quicquid Romanarum legionum est: quæ nisi pro seipsis ad mortem ruere volunt, quid habent quod morte sua feruent? Tecta urbis, (dicat aliquis) & moenia, & eam turbam à qua urbs incolitur. Imò hercule produntur magis ea omnia deleta hoc exercitu, non seruantur. Quis enim ea tuebitur? imbellis videlicet atque inermis multitudo? tam hercule, quàm à Gallorum impetu defendit. An à Veis exercitum Camillumque ducem implorabunt? Hinc omnes spes opesque sunt, quas seruando, patriam seruamus: dedendo ad necem, patriam deserimus ac prodimus. At foeda atque ignominiosa deditio est. Sed ea charitas patriæ est, ut tam ignominia eam, quàm morte nostra, si opus sit, seruemus. Subeatur ergo ista, quantacunque est, indignitas, & pareatur necessitati, quam ne dii quidem superant. Ite consules, redimite armis ciuitatem, quam auro maiores nostri redemerunt.

ORATIO SP. POSTHVMII CONSVLIS, qui sub iugum missus erat, in senatu, de pace ad Caudium facta.

ARGUMENTVM.

Pace ad Caudium cum Samnitibus facta per sponsonem consulum, præfectorum, quaestorum, tribunorum militum, quum tempus constitutum adueniret, traditi obsides in custodiam abducti sunt. Consules deinde, licet hostes per hostes cum fascibus abire iussis, detractisque paludamentis, propè seminudi sub iugum missi: quos sequebantur, ut quisque gradu proximus erat, singulae simul legiones. Circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque per contumeliam. Ipsum illud tam foedum spectaculum in eo ipso saltu exhibitum fuit, unde erumpere non potuerant: ex quo abire iussi, quum ante noctem Capuam peruenire possent, incerti tamen de fide sociorum, pudoreque prohibiti, humi haud procul Capua prosternuntur. Quod ubi Capuam allatum est, tum demum miseratione victi Campani, magistratibus insignia, singulis arma, equos, vestimenta, comiteus ex publico comiter impendunt: venientibus tota ciuitas obuiam egressa. Postero die Romam contendere placuit. Nocte ingressi habitu vultuque captorum, in sua se quisque tecta taciti abdunt: unde, pudore suffusi, nec postero nec insequentibus aliquot diebus in publicum prodierunt. Omnia interim luctuosa mæstaque in urbe erant. Ita interiectis aliquot diebus, tandem cum de pace ad Caudium facta referri placuit, tum à P. Philone consule Sp. Posthumius alter consul eorum qui sub iugum missi fuerant, dicere iussus, ita rem exposuit,

**H**aud sum ignarus, consules, ignominia, non honoris causa me primum excitatum, iussumque dicere, non tanquam senatorem, sed tanquam reum tam infelicis belli, quàm ignominiosæ pacis. Ego tamen, quando neque de noxa nostra, neque de poena retulistis, omiissa defensione, (quæ non difficillima esset apud haud ignaros fortissimarum humanarum, necessitatumque) sententiam de eo de quo retulistis, paucis peragam: quæ

sententia testis erit, mihi ne an legionibus vestris pepercerim, quum me seu turpi seu necessaria sponione obstrinxi: qua tamen, quando iniuria populi facta est, non tenetur populus Romanus: nec quicquam ex ea praeterquam corpora nostra, debetur Sannitibus. Dedamur per foeciales nudi vincitque, exoluamus religione populum, si qua obligauimus, nequid diuini aut humani obstet quominus pium iustumque de integro ineatur bellum. Interea, consules, exercitum scribere, armare, educere placet: nec prius ingredi hostium fines, quam omnia iusta in deditioem nostram perfecta erunt. Vos, dii immortales, precor quae soque, si vobis non fuit cordi Sp. Posthumium, Titum Veturium consules cum Sannitibus prospere bellum gerere: at vos satis habeatis vidisse nos sub iugum missos, vidisse sponione infami obligatos, videre nudos vincitque hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibus excipientes: novos consules legionisque Romanas ita cum Sannite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos consules bella gesta sunt.

ORATIO EIVSDEM SP. POSTHVMII CONTRA TRIBUNOS PLEB. QUI DEDITIONEM IMPEDIEBANT.

ARGVMENTVM.

Hoc coniunctum cum priore oratione. Sp. Posthumius placere dixerat ut auctores sponione pacisque Caudinae nudi vincitque dederentur. L. Liuius & Q. Metellus tribuni plebis erant, ad quos pars eius deditioem pertinebat. Ii itaque intercedendo contendebant, sua deditioem populum Rom. religione exolui non posse, nisi omnia Sannitibus, qualia apud Caudium fuissent, redderentur: se item, quum sacrosancti sint, dedit hostibus, violarique nec posse nec debere. Quae quum ab illis iactari Sp. Posthumius audiret, ita rationes eorum confutabat,

**I**nterea dedito profanos nos, quos salua religione potestis: dedito deinde & istos sacrosanctos, quum primum magistratu abierint. sed si me audiat, prius quam dedantur, hic in comitio virgis caesos, hanc iam ut intercalatae poenae vsuram habeant. Nam quod deditioem nostra negant exolui religione populum: id istos magis ne dedantur, quam quia ita se res habeat, dicere, ecquis adeo iuris foecialium expers est qui ignoret? Neque ego inficias eo, P. C. tam sponiones, quam foedera sancta esse apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur: sed iniustu populi nego quicquam sanciri posse quod populum teneat. An si eadem superbia qua sponionem istam expresserunt nobis Sannites, coegissent nos legitima verba deditioem vrbes nuncupare, dedito populum Romanum vos tribuni diceretis: & hanc urbem, templa, delubra, fines, aquas Sannitium esse: Omitto deditioem, quoniam de sponione agitur. Quid tandem si sponidissimus, urbem hanc relicto populum Romanum: si incensurum: si magistratus, si senatum, si leges non habiturum: si sub regibus futurum: Di meliora, inquis. Atqui non indignitas rerum sponionis vinculum leuat. Siquid est in quod obligari populus possit, in omnia potest: & ne illud quidem, quod quosdam forsitan moueat, refert, consul, an dictator, an praetor sponiderit: & hoc ipsi etiam Sannites iudicauerunt: quibus non fuit satis consules sponidere, sed legatos, quaestores, tribunos militum sponidere coegerunt. Nec a me nunc quisquam quaesierit quid ita sponiderim, quum id nec consulis ius esset, nec illis sponidere pacem, quae mei non erat arbitrii, nec pro vobis, qui nihil mandaueratis, possem. Nihil ad Caudium. P. C. humanis consiliis gestum est: dii immortales, & vestris & hostium Imperatoribus mentem ademerunt: nec nos in bello satis cauimus, & illi male partam victoriam male perdidit, dum vix locis quibus vicerant, credunt, dum quacunque conditione arma viris in arma natis auferre festinant. An si sana mens fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo ad consultandam accersunt, mittere Romam legatos: cum senatu, cum populo de pace ac foedere agere: Tridui iter expeditis erat. Interea in induciis res fuisset, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam, aut pacem adferrent. Ea demum sponio esset quam populi iussu sponidissimus. Sed neque vos tulissetis, nec nos sponidissimus: nec fas fuit alium rerum exitum esse, quam ut & illi velut somnio laetiore quam quod mentes eorum capere possent, ne quicquam eluderentur: & nostrum exercitum eadem quae impedierat fortuna, expeditet. Vanam victoriam vanior irritam faceret pax: sponio interponeretur quae neminem praeter sponidorem obligaret. Quid enim vobiscum, P. C. quid cum populo Rom. actum est? quis vos appellare potest? quis se a vobis dicere deceptum? Hostis? an ciuis? Hosti nihil sponidistis,



ciuem neminem spondere pro vobis iussistis. Nihil ergo vobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis: nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis. Samnitibus sponsores nos sumus, rei satis locupletes in id quod nostrum est, in id quod præstare possumus, corpora nostra, & animos. In hæc sæuiant, in hæc ferrum, in hæc iras acuunt. Quod ad tribunos pl. attinet, consulite vtrum præsens eorum deditio fieri possit, an in diem differatur. Nos interim, T. Veturi, vósque cæteri, vilia hæc capita luendæ sponsonis feramus, & nostro supplicio liberemus Romana arma.

ORATIO A. CORNELII ARVINÆ FECIALIS  
ad Samnites in deditioe sponsoforum pacis:

ARGUMENTVM.

Consilio ac sententia Sp. Posthumii patres adducti, per feciales dedi hostibus sponsores iubent. Iam ventum erat in cærum Samnitium, & ad tribunal C. Pontii, quum veste detracta manibusque post tergum vincitis, A. Cornelius Aruina fecialis, sponsores pacis hostibus hac verborum forma dedere cœpit,

**Q**uandoquidem hice homines iniussu populi Rom. Quiritium fœdus ictum iri sponderunt, atque ob eam rem noxa nocuerunt: ob eam rem, quò populus Rom. scelere impio fit solutus, hosce homines vobis dedo.

ORATIO CL. PONTII SAMNITIVM  
regis qua feicali respondet.

ARGUMENTVM.

Hoc ad proximam orationem pertinet. Sp. Posthumius inter verba deditiois, genu feccialis femur quanta maxima vi poruit perculit, dicens se Samnitẽ esse ciuẽ: à se quũ præter ius legatus Romanus violatus sit, eo iustius bellum gesturos. Pontius verò quum hoc factum animaduertisset, deditioem se accepturum, jta negauit,

**N**ec ego istam deditioem accipiam, nec Samnites ratam habebunt. Quin tu, Sp. Posthumi, si deos esse censes, aut omnia irrita facis, aut pacto stas? Samniti populo omnes quos in potestate habuit, aut pro iis pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te nũc captũ victori cum qua potes fide restituis? Populum Romanum appello, quem si sponsonis ad Furcas Caudinas factæ pœnitet, restituat legiones intra saltum quo septæ fuerunt: nemo quenquam deceperit: omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt: redeant in castra sua. Quicquid pridie habuerunt quàm in colloquium est ventum, habeant: tum bellum & fortia consilia placeant: tunc spõsio & pax repudietur. Ea verò fortuna, iis locis quæ ante pacis mentionẽ habuimus, geramus bellum: nec populus Romanus consulum sponsonem, nec nos fidem populi Romani accusemus. Nunquãme causa deficiet cur victi pacto nõ stetis? Obsides Porfenæ didistis: furto eos subduxistis. Auro ciuitatem à Gallis redemistis: inter accipiendum aurum cæsi sunt. Pacem nobiscum pepigistis, vt legiones vobis captas restitueremus: eam pacem irritam facitis: & semper aliquam fraudi speciem iuris imponitis. Non probat populus Romanus ignominiosa pace legiones seruatas? Pacem sibi habeat, legiones captas victori restituat. Hoc fide, hoc fœderibus, hoc feccialibus ceremoniis dignũ erat, vt tu quidẽ quod petisti, per pactionem habeas, tot ciues incolumes: ego pacem, quam hosti tibi remittendo pactus sum, non habeam? Hoc tu, A. Corneli, hoc vos fecciales iuris gentibus dicitis? Ego verò istos, quos dedi simulatis, nec accipio, nec dedi arbitror: nec moror quominus in ciuitatem obligatam sponsonem commissa, iratis omnibus diis, quorum eluditur numen, redeant: geratur bellum, quando Sp. Posthumius modò legatum feccialem genu perculit. Ita dii credent Samnitẽ ciuem Posthumium, non ciuem Romanum esse, & à Samnite Romanũ legatum violatum: eò vobis iustum in nos factum esse bellum. Hæc ludibria religio num non pudere in lucem proferre? & vix pueris dignas ambages fenes ac consulares fallendæ fidei exquirere? Ilictor, deme vincula Romanis: moratus sit nemo quominus vbi visum fuerit abeant.

ORATIO Q. FABII DICTATORIS, QVA  
suos ad eruptionem hortatur.

ARGUMENTVM.

Gerebatur bellum Q. Fabio dictatore duce aduersus Sānites, ad quos post aliquot bella in Appulia gesta, Sora oppidum defecerat. Potiti oppido, colonos Romanorum interficiūt, Quod vbi est perlatum in castra, tum demum Romani ad vlciscendam ciuium necem, recuperandamque coloniam contendunt. Ad Lautulas diu ancipiti praelio pugnatum est, donec incertos vtri victi an victores essent, nox diremit. Dictator post pugnam quum suos intra vallum iam aliquot dies obsessi magis quàm obsidentis modo continuisset, ad eruptionem sic adhortabatur,

**L**ocis angustiis, milites, deprehensi, nisi quam victoria patefecerimus, viam nullam habemus. Statio nostra munimento satis tuta sunt, sed inopia eadem infesta. nam & circa omnia defecerunt vnde subuehi com meatus poterant: & si omnes iuuare velint, iniqua loca sunt. Itaque non frustrabor ego vos, castra hic relinquendo, in quæ infecta victoria, sicut pristino die, vos recipiatis. Armis munimenta, non munimentis arma tuta esse debent. Castra habeant, repetantque, quibus operæ est trahere bellum: nos omnium rerum respectum præterquam victoriæ nobis abscindamus. Ferte signa in hostem: vbi extra vallum excesserit agmen, castra quibus imperatum est, incendant. Damna nostra, milites, omnium circa qui defecerunt populorum præda sarcientur.

ORATIO C. MENENII DICTATORIS,  
quando in eum ambitus crimen iactum est  
à nobilibus.

ARGUMENTVM.

Coniurationes principum Capuæ factæ, authoribus & capitibus mortuis, Romam tandem versa sunt. Quæstionibus exercendis C. Menenius dictator dictus erat: à quo quum postularentur ad dicendam causam nobiles viri, primum tribunos pleb. appellabant: deinde quum ea via nihil proficerent quin nomina darent, tum demum id crimen vociferantur non nobilium, sed nouorum esse, nominibus indicatis, dictatore atque magistro equitum: quod compertum iri affirmabant, vbi magistratu abiissent. Tum Menenius dictator hac oratione nihil se morari dixit quominus eo ipso die abdicato magistratu causam intrer eos diceret.

**E**T omnes antea actæ vitæ vos conscios habeo, Quirites, & hic ipse honos delatus ad me, testis est innocentia meæ. Neque enim (quod sæpe aliàs, quia ita tempora postulabant Reipub.) qui bello clarissimus esset, sed qui maximè procul ab his coitionibus vitam egisset, dictator deligendus exercendis quæstionibus fuit. Sed quoniam quidam nobiles homines (qua de causa, vos existimare, quàm me pro magistratu quicquam incomperatum dicere melius est) primum ipsas expugnare quæstiones omni ope annisi sunt: deinde postquam ad id parum potentes erant, ne causam dicerent, in præsidia aduersariorum appellatione & tribunitiū auxilium patricii confugerunt: postremo repulsi inde (adeo omnia tutiora, quàm vt innocentiam suam purgarent, visa) in nos irruerūt, & priuatis dictatorem poscere reum, verecundia non fuit: vt omnes dii hominesque sciant, ab illis, etiam quæ non possint, tentari, ne rationem vitæ reddant: me obuiam ire crimini, & offerre me inimicis reum: dictatura me ab dico. Vos quæso, cōsules, si vobis datum ab senatu negotium fuerit, in me primum & hunc M. Foslium quæstiones exerceatis, vt appareat, innocentia nostra nos, non maiestate honoris, tutos à criminationibus istis esse.

ORATIO P. SEMPRONII TRIBVNI PLEB.  
aduersus Ap. Claudium, qui se intra legitimum tempus  
censura abdicare volebat.

ARGUMENTVM.

Appius Claudius censor erat, qui quum lege Æmilia circumactis decem & octo mensibus, abire magistratu deberet, nec lege, nec exemplo collegæ, nec vi vlla cogi poterat vt se abdicaret. Cauillabatur autem, neminem ea lege teneri, qui post eam latā creatus fuisset.

Eius magistratus finitū P. Sempronius tribunus plebi actionem suscepit, qui superbiam insolentiamque Appii apud populum ita criminatus est,

**E**N, Quirites, illius Appii progenies, qui decemuir in annum creatus, altero anno se ipse creauit: tertio, nec ab se, nec ab vlllo creatus, priuatus fasces & imperium obtinuit; nec antè continuando abstinit magistratu, quàm obruerent eum malè parta, malè gesta, malè retenta imperia. Hæc est eadem familia, Quirites, cuius vi atque iniuriis compulsi extorres patria Sacrum mōtem cepistis: hæc aduersus quam tribunitium auxilium vobis comparastis: hæc propter quam duo exercitus Auentinum infedistis: hæc quæ fœnebres leges, hæc quæ agrarias semper impugnavit: hæc connubia patrum & plebis interrupit: hæc plebi ad curules magistratus iter obsepsit: hoc est nomen multo quàm Tarquiniorum infestius vestræ libertati. Itane tandem, Appi Claudii, quum centesimus iam annus sit ab Mamercio AEmilio dictatore, tot cēsores fuerint nobilissimi fortissimique viri, nemo eorum duodecim tabulas legit: nemo id ius esse, quod postremò populus iussisset, sciuit? Imò verò omnes sciuerunt: ideo AEmiliae potius legi paruerunt quàm illi antiquæ, qua primùm censores creati erant quia hanc postremum iusserat populus, & quia vbi contrariæ duæ leges sunt, semper antiquā abrogat noua. An hoc dicis Appi, nō teneri AEmilia lege populū, an populū teneri, te vnū extra legem esse? Tenuit AEmilia lex violentos illos censores C. Furium & M. Geganium: quicquid iste magistratus in Rep. mali facere posset, indicarunt, quū ira finitæ potestatis Mamercum AEmilium principem ætatis suæ, belli domique ærarium fecerunt. Tenuit deinceps omnes censores intra centum annorum spatium: tenet C. Plautium collegam tuum iisdem auspiciis, eodem iure creatum. An huic non, vt qui optimo iure censor creatus esset, populus creauit: tu vnus eximius es, in quo hoc præcipuum ac singulare valeat? Quem tu regem sacrificiorum crees, amplexus regium nomen, vt qui optimo iure rex Romæ creatus sit, creatum se dicat: quem semestri dictatura, quem interregno quinque dierum cōtentum fore putes? quem clauis figendi, aut ludorum causa dictatorem audacter crees? Quàm isti stolidos ac secordes videri creditis eos qui intra vicefimum diem ingentibus rebus gestis dictatura se abdicarunt? aut qui vitio creati magistratu abierunt? Quid ego antiqua repetam? Nuper intra decem annos C. Menenius dictator, quia quum quæstiones seuerius quàm quibusdā potentibus tutum erat, exerceret: contagio eius quod quærebat, ipsi criminis obiectata ab inimicis est: vt priuatus obuiam iret crimini, dictatura se abdicauit. Nolo ego istam in te modestiam: ne degeneraueris à familia imperiosissima & superbissima: non die, non hora citius quàm necesse est, magistratu abieris, modò ne excedas finitum tempus. Satis est aut diem aut mensem censuræ adiciere. Triennium, inquit, & sex menses vltra quàm licet AEmilia lege, censuram geram, & solus geram. Hoc quidem iam regno simile est. An collegam subrogabis, quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est? Pœnitent enim quòd antiquissimum solēne, & solum ab ipso cui fit, institutum deo, ab nobilissimis antistitibus eius sacri ad seruorum ministerium religiosus censor deduxisti: quòd gens antiquior originibus vrbs huius, auspicio deorum immortalium sancta, propter te ac tuam censuram intra annum ab stirpe extincta est: nisi vniuersam Remp. eo nefario obstrinxeris, quod ominari etiam reformidat animus. Vrbs eo lustro capta est, quo demortuo collega C. Iulio censore L. Papyrius Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam subrogauit. Et quanto modestior illius cupiditas fuit, quàm tua, Appi? nec solus, nec vltra finitum lege tempus L. Papyrius censuram gessit, tamen neminem inuenit qui se postea authorem sequeretur: omnes deinceps cēsores post mortem collegæ se magistratu abdicarunt. te nec quòd dies exiit censuræ, nec quòd collega magistratu abiit, nec lex, nec pudor coerces. Virtutem in superbia, audaciam in contemptu deorum hominumque ponis. Ego te, Ap. Claudii, pro istius magistratus maiestate ac verecundia, quem gessisti, non modò manu violatum, sed ne verbo quidem inclementiori à me appellatum vellem. Sed & hæc quæ adhuc egi, peruicacia tua & superbia coegit me loqui: & nisi AEmiliae legi parueris, te in vincula duci iubebo: neque (quum ita comparatū à maioribus sit, vt comitiis censoriis, nisi duo confecerint legitima suffragia, non renuntiato altero, comitia differantur) ego te, qui solus censor creari non possis, solum censuram gerere patiar.

Ex decimo libro ab vrbe condita.

ORATIO P. DECII MVRIS CONSVLIS

ad populum, qua suadet vt ex plebe augures  
& pontifices fiant.

ARGVMENTVM.

Iam ad omnes magistratus & honores plebeiis quoque, exceptis sacerdotiis, aditus patebat, quum tribuni pleb. rogationem promulgant, vt quum ad id tempus quatuor tantum augures, quatuor item pontifices fuissent, quinque deinceps augures, & quatuor pontifices, & ex plebe omnes allegerentur. Rogationem eam ægrè passi patres, quatenus ex plebe allegerentur, iactabant ea sacra violari & pollui. De suadenda dissuadendaque rogatione diu inter Ap. Claudium & P. Decium Murem certatum est. Decius, multis ante de parere suo Decio consule, qui se pro legionibus deuouerat, commemoratis, quæ ad rem pertinebant: hoc pacto rogationem suavit,

**Q**uod quum ita se habeat, cui deorum hominumve indignum videri potest, eis viris, quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque honoraritis, quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia insignia adicere? Qui Iouis optimi maximi ornatu decoratus, curru aurato per urbem vectus in Capitolium ascenderit, si conspiciatur cum capide ac lituo, capite velato victimam cadet, auguriumve ex arce capiet? Cuius imaginis titulo consulatus, censuræque & triumphus æquo animo legetur, si auguratum aut pontificatum adieceritis, non sustinebunt legentium oculi? Equidem (pace dixerim deum) eos nos iam populi Romani beneficio esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra honoris, quam acceperimus: & deorum magis quam nostra causa expetamus vt quos priuatim colimus, publicè colamus. Quid autem ego sic adhuc egi, tanquam integra sit causa patriciorum de sacerdotiis, & non iam in possessione vnus amplissimi simus sacerdotii? Decem viros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri ceremoniarumque aliarum, plebeios videmus: nec tum patriciis vlla iniuria facta est, quum duum viros sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus: & nunc tribunus vir fortis ac strenuus quinque augurum loca, quatuor pontificum adiecit, in quæ plebei nominentur: non vt vos, Appi, vestro loco pellant, sed vt adiuuent vos homines plebei diuinis quoque rebus procurandis, sicut in cæteris humanis pro parte virili adiuuant. Noli erubescere, Appi, collegam in sacerdotio habere, quem in censura, quem in consulatu collegam habere potuisti: cuius tam dictatoris magister equitum, quam magistri equitum dictator esse potes. Sabinum aduenam principem nobilitatis vestræ, seu Actium Clausum, seu App. Claudium mauultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt: ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere. Multa nobiscum decora adferimus, imò omnia eadem quæ vos superbos fecerunt. L. Sextius primus de plebe consul est factus, Caius Licinius Stolo primus magister equitum, C. Martius Rutilius primus & dictator & censor, Q. Publius Philo primus prætor. Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos getem habere, vos solos iustum imperium & auspiciam domi militiæque: æquæ adhuc prosperum plebeium, ac patricium fuit, porroque erit. En Romæ vnquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cælo demissos, sed qui patrem ciere auumque possent, id est, nihil ultra quam ingenuos? Consul è iam patrem ciere possum, auumque iam poterit filius meus. Nihil est aliud in re, Quirites, nisi vt omnia negata adipiscamur. Certamen tantum patricii petunt, neque curant quem euentum certaminum habeant. Ego hanc legem (quod bonum, faustum felixque sit vobis ac Reipub.) vti rogastis, iubendam censeo.

Ex vicinia

Ex vicesimoprimo libro ab vrbe condita.

ORATIO HANNONIS AD CARTHAGINIEN-  
ses contra Annibalem de fœdere rupto .

ARGUMENTVM.

Factiones erant duæ inter Carthaginienſes ortæ: altera Barchinorum, qui ad Annibalem imperium deferendum cenſebant: altera aliorum, cuius princeps Hanno erat. Is Annibali rerum ſummam tradendam non putabat: ſed potius continendũ eum domi ſub legibus, docẽdũque viuere cũ cæteris æquo iure ſub magiſtratib⁹: ne is, velut paruus ignis, incendium ingens quandoque exuſcitaret. Ac iam cum Afrubale populus Romanus fœdus renouauerat, vt amnis Iberus imperii Romani & Carthaginianſium terminus eſſet, Saguntiniſque mediis libertas ſeruaretur. Maior iam tum pars vicerat vt Annibal præficere bello, iamque ipſe Saguntum ſumma ope oppugnabat, quum à Saguntinis legati de auxilio Romam mittantur. Romani oratores eo ipſo nomine miſi, nec admiſi ab Annibale, nec auditi ſunt. Ac quum Carthaginem conqueſtum de fœdere rupto ituros acciperet, literas nuntioſque ad principes Barchinæ factionis præmiſit, quibus eos monebat vt ſuorum animos præpararent, nequid factio altera pro Romanis gratificaretur. Porro iam Carthaginem legati Romanorum peruenerant, quum Hanno ipſe alterius factionis princeps in ſenatu de re quæ contigerat, ita ſententiam peregit;

**I**uuenem flagrantem cupidine regni, viamque viam ad id cernentem, ſi ex bellis bella ferendo, ſuccinctus armis legionib⁹que uiuat, velut materiam igni præbentes, ad exercitum miſiſtiſ. Aluiſtiſ ergo hoc incendium quo nunc ardetis. Saguntum veſtri circumſident exercitus, vnde arcentur fœdere: mox Carthaginem circumſidebunt legiones Romanæ, ducibus diis iſdem per quos priore bello rupta fœdera ſunt vlti. Vtrum hoſtem, an vos, an fortunam vtriuſque populi ignoratiſ? Legatos à fociis & pro fociis venientes, bonus imperator veſter in caſtra non admiſit, ius gentium ſuſtulit. Hi tamen, vnde ne hoſtium quidem legati arcentur, pulſi ad vos veniunt, res ex fœdere repetunt: publica fraus abſit: authorem culpæ & reum criminis depoſcunt. Quo lenius agunt, ſegnius incipiunt: eo, quum cœperint, vereor ne perfeuerantius ſæuiant. AEGades inſulam Erycẽmque ante oculos proponite: quæ terra marique per quatuor & viginti annos paſſi ſitiſ. nec puer hic dux erat, ſed pater ipſe Amilcar, Mars alter, vt iſti volunt. Sed tunc Tarento & Italia non abſtinueramus ex fœdere, ſicut nunc Sagunto non abſtinemus. Vicerunt ergo dii hominẽsque: & id de quo verbis ambigebatur, vter populus fœdus rupiſſet: euentus belli, velut æquus iudex, vnde ius ſtabat, ei victoriam dedit. Carthagini nunc Annibal vineas turrẽsque admouit, Carthaginis mœnia quatit ariete. Sagunti ruina (falſus vtinam vates ſim) noſtris capitibus incident, ſuſceptũque cum Saguntiniſ bellum, habendũ cum Romanis eſt. Dedemus ergo Annibalem: dicit aliquiſ. Scio meam leuem eſſe in eo authoritatem, propter paternas inimicitias: ſed & Amilcarẽ eò periſſe lætatus ſum, quod ſi ille viueret, bellum iam cum Romanis haberemus: & hunc iuuenem tanquam furiam facẽmque huius belli, odi ac deteſtor: nec dedendum ſolum ad piaculum rupi fœderiſ, ſed (ſi nemo depoſcat) deuehendum in vltimas maris terrarũmq; oras: ablegandũque eò vnde nec ad noſ nomen fama que eius accedere, neque ſolicitare quietæ ciuitatiſ ſtatum poſſit. Ego autem ita cenſeo, legatos extemplo Romam mittendos, qui ſenatuſ ſatiſfaciant: alioſ, qui Annibali nuntient vt exercitum ab Sagunto abducatur, ipſumque Annibalem ex fœdere Romanis dedant. tertiam legationem ad res Saguntiniſ reddendas decerno.

ORATIO ALORCI HISPANI AD SAGV-  
ntinos, qua pacis conditiones quas Annibal fere-  
bat, exponit.

ARGUMENTVM.

In ſumma Saguntinorũ deſperatione, Alcon Saguntinus inconſciſ cæteriſ ad Annibalem tranſiit, ſe atque conſilio agendi de pace. Quæ res in cauſa fuit vt quum triſtes conditio-  
nes deſerret Annibal, quas certò ſciebat ille cæteroſ non accepturoſ, non auſus redire,

apud hostem maneret. Tum fortè Alorcus Hispanus sub Annibale quidem militabat, ceterùm Saguntinis veteri amicitia atque hospitio iunctus: is pro Alcone interpres Saguntum ingressus, veteribus amicis in hanc sententiam condiciones exposuit,

**S**I ciuis vester Alco, sicuti ad pacem petendam ad Annibalem venit, ita pacis conditiones ab Annibale ad vos retulisset, superuacaneum hoc mihi fuisset iter, quo nec orator Annibalis, nec transfuga ad vos venissem. Quum verò ille aut vestra aut sua culpa māsērit apud hostem, (si metum simulauit, sua: vestra, si periculum est apud vos vera referentibus) ego, ne ignoraretis esse aliquas & salutis & pacis vobis condiciones, pro vetusto hospitio quod mihi vobiscum est, ad vos veni. Vestra autem causa me, nec vllius alterius, loqui quæ loquor apud vos, vel ea fides sit, quòd neque dum vestris viribus restitistis, neque dum auxilia à Romanis sperastis, pacis vnquam apud vos mentionem feci. Postquam nec à Romanis vobis vlla spes est, nec vestra iam aut arma vos aut mœnia satis defendunt, pacem affero ad vos magis necessariam quàm æquam: cuius ita aliqua spes est, si eam, quemadmodū vt victor, fert Annibal, sic vos vt victi audiatis, si non, id quod amittitur, in damno, (quum omnia victoris sint) sed quicquid relinquitur, pro munere habituri estis. Urbem vobis, quam magna iam ex parte dirutam, captam ferè totā habet, adimit: agros relinquit, locum assignaturus in quo nouum oppidum ædificetis. Aurum argentūque omne publicum & priuatum ad se iubet deferri: coniugum, vestraque corpora, ac liberorum vestrorum, seruat inuiolata, si inermes cum binis vestimentis à Sagunto velitis exire. Hæc victor hostis imperat: hæc, quanquam sint grauiata atque acerba, fortuna vestra vobis suadet. Equidem haud despero, quum omniū potestas ei à vobis facta sit, aliquid ex his vobis remissurum. Sed hæc patienda censeo potius quàm trucidari corpora vestra, rapi trahique ante ora vestra coniuges ac liberos belli iure finatis.

### ORATIO CVIVSDAM CARTHAGINIENSIS qua legatis Rom. de consilio oppugnationis Sagunti respondet.

#### ARGUMENTVM.

Legati Romani Romam Carthagine redeuntes, quum quæ responsa à Carthaginiensibus, quæque Sagunti agerentur, referrent: vno omnes consensu copias in Africam & Hispaniam ducendas esse censebant. Vt tamen omnia iusta ante bellum fierent, legatos rursus Carthaginem mitti placuit, qui percontarentur, publicone an priuato consilio Saguntum Annibal oppugnasset: si faterentur, ac defenderent, publico, tum demum iustum indicerēt bellum. Iam dato senatu Q. Fabius princeps legatorum percontatus erat, quum ex Carthaginiensibus vnus ita respondit,

**V**Ana, Romani, & prior legatio fuit, quum Annibalem tanquam suo consilio Saguntum oppugnantem deposcebatis. Cæterum hæc legatio verbis adhuc lenior est, re asperior. tunc enim Annibal & insimulabatur, & deposcebatur: nunc à nobis & confessio culpæ exprimitur, & vt à confessis res extemplo repetuntur. Ego autem non publico priuatione consilio Saguntum oppugnatum sit, quærendum censeam: sed vtrum iure, an iniuria. Nostra enim hæc quæstio atque animaduersio in ciuem nostrum est, nostro an suo fecerit arbitrio: vobiscum vna disceptatio est, licueritne per foedus fieri. Itaque quoniam discerni placet, quid publico consilio, quid sua sponte imperatores faciant: nobis vobiscum foedus est à Lucratio consule ietum, in quo cauetur de vtrorumque sociis: nihil de Saguntinis (necdum enim erāt socii vestri) cautū est. Atenim eo foedere quod cum Asdrubale ietum est, Saguntini excipiuntur, aduersus quod nihil ego dicturus sum, nisi quod à vobis didici. Vos enim, quod C. Lucratius consul primò nobiscum foedus icit, quia neque autoritate patrum, nec populi iussu ietum erat, negastis vos eo teneri. itaque iud de integro foedus publico consilio ietum est. Si vos non tenent vestra foedera, nisi ex autoritate aut iussu vestro icta: nec nos quidem Asdrubalis foedus, quod nobis in sociis icit, obligare potuit. Proinde omittite Saguntum atque Iberi mentionem facere, & quod diu parturit annus vester, aliquando pariat.

ORATIO VOLCIANORVM QVA LEGATIS  
Romanorum respondent.

## ARGVMENTVM.

Hoc ad superius pertinet. Legatis mandatū erat vt Carthagine in Hispaniam trāsirent ad auertendos à Pœnis animos sociorum, retinendosque in fide & societate Romanorum. Iis à Bargusianis ad Volcianos transeuntibus, hoc datum est responsum,

**Q**uæ verecundia est, vos, Romani, postulare vt vestram Carthaginiensium præponamus amicitiam, quum qui id fecerunt, Saguntinos, crudelius quàm Pœnus hostis perdidit, vos socii prodideritis: Ibi quærat is socios, cenfeo, vbi Saguntina clades ignota est. Hispanis populis sicut lugubre, ita insigne documentum Sagunti ruine erunt, nequius fidei Romanæ aut societati confidat.

ORATIO ANNIBALIS AD HISPANOS  
milites:

## ARGVMENTVM.

Annibal, Sagunto capto, Carthaginem nouam in hyberna concesserat: ibi quū audisset quæ de se Carthagine ac Romæ dicta decretaque forent, se videlicet non ducem belli modò, sed causam: partitis ac diuenditis reliquiis prædæ, ad se Hispanos milites conuocauit, quibus consilium suum de transferendo bello ita exponeret,

**C**redo ego vos, socii, & ipsos cernere, pacatis omnibus Hispaniæ populis, aut finiedam vobis militiam, exercitusque dimittendos esse, aut in alias terras transferendum bellum. Ita enim hæ gentes non pacis solum sed etiã victoriæ bonis floreunt, si ex aliis gentibus prædam & gloriam quæremus. Itaque quum longinqua ab domo instet militia, incertumque sit quando domos vestras, & quæ cuique ibi sunt chara, visuri sitis: si quis vestrum suos inuisere vult, commeatum do: primo vere edico adsitis, vt diis bene iuuantibus, bellum ingentis gloriæ prædæque futurum incipiamus:

ORATIO P. SCIPIONIS SVOS  
adhortantis:

## ARGVMENTVM.

P. Scipio ad ostium Rhodani congressus cum hoste, caesis ferè vtrinque paribus, subito Numidarum pauore atque fuga victoriam obtinuerat. Exercitus eius victoris maximã partem, Cn. Scipioni fratri tradidit ducendam in Hispaniam aduersus Asdrubalem. Profectus non multo post nauibus Pisas, exercitum tyronem adhuc & trepidum à Manlio Atrilioque accipit, spe atque consilio cum hoste ad Padum configendi. Itaque vbi in conspectu hostium Pœnorū ventum est, hac oratione militum animos ad egregiè pugnandū adhortabatur,

**S**i eum exercitum, milites, educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, superferdissem loqui apud vos. Quid enim adhortari referret aut eos equites qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen, egregiè vicissent: aut eas legiones cum quibus fugientem hunc ipsum hostem sequutus, confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui? Nunc quia ille exercitus Hispaniæ prouinciæ scriptus, ibi cū fratre Cn. Scipione meis auspiciis rem gerit, vbi eum gerere senatus populisque Romanus voluit: ego, vt consulem ducem aduersus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipse me huic voluntario certamini obtuli. Nouo imperatori apud novos milites pauca verba facienda sunt. Ne genus belli, nève hostem ignoretis: cum is est vobis, milites, pugnandum, quos terra marique priore bello vicistis: à quibus stipendium per viginti annos exegistis: à quibus capta belli præmia Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis illisque animus qui victoribus & victis esse solet. Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt. nisi creditis, qui exercitu incolumi pugnam detrectauerit, eos, duabus partibus peditum equitumque in transitu Alpium amissis, qui plures penè perierint quam superferant, plus spei nactos esse. Atenim pauci quidem sunt, sed ingentes animis corporibusque, quorum robora ac vires vix sustinere vis vlla possit. Effigies, imò ymbra nominum, fame, frigore, illuue, squalore enecti, contusi ac debilitati inter saxa rupesque

ad hæc, perusti artus, niue rigentes nerui, mēbra torrida gelu, quassata cōfractaq; arma, claudi ac debiles equi. Cū hoc equite, cū hoc pedite pugnaturi estis: reliquias extremas hostiū, nō hostes habebitis. Ac nihil magis vereor, quàm ne, antequā vos cū hoste pugnaueritis, Annibalē Alpes vicissē videātur. Sed ita forsitan decuit cū fœderū ruptore duce ac populo deos ipsos sine vlla humana ope committere, ac profligare bellum: nos autem, qui secundum deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere. Non vereor ne quis me hoc vestri adhortandi causa magnificè loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. Licuit in Hispaniam prouinciam meam ire, quò iam profectus eram cum exercitu meo, vbi & fratrem consilii participem, ac periculi socium haberem, & Asdrubalem potius quàm Annibalem, hostem, & minorem haud dubiè molem belli. Tamen quum præterueherer nauibus Galliæ oram, ad famam huius hostis in terram egressus, præmissō equitatu ad Rhodanum moui castra. Equestri prælio, qua parte copiarum conferendi manum fortuna data est, hostem fudi: peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi terra non poteram, neque regressus ad naues erat, quanta maxima celeritate potui, tanto maris terrarūque circuitu in radicibus Alpium obuius fui. Huic timendo hosti, vtrum quum declinarem certamen, improuisus videor incidisse: an occurrere in vestigiis eius: laceffere, ac trahere ad decernendum? Experiri iuuat vtrū alios certè repentè Carthaginenses per viginti annos terra ediderit an iidem sint, qui ad Aegates pugnauere insulam, & quos ab Eryce duodeuigenis denariis æstimatos emisistis: & vtrum Annibal hic sit æmulus itinerum Hercules, vt ipse fert, an vectigalis, stipendiariūque & seruus populi Rom. à patre relictus: quem nisi Saguntinum scelus agitare, respiceret profectò si non patriam victā, domum certè, patrēque, & fœdera Amilcaris scripta manu, qui iussus à consule nostro præsidium deduxit ab Eryce, qui graues impositas victis Carthaginensibus leges fremens mœrensque accepit, qui decedere Sicilia, qui stipendium populo Romano dare pactus est. Itaque vos ego, milites, non eo solū animo, quo aduersus alios hostes soletis, pugnare velim: sed cum indignatione quadam atque ira, velut si seruos videatis vestros arma repentè contra vos ferentes. Licuit, si voluissemus, ad Erycem clausos vltimo supplicio humanorum, fame interficere, licuit classē victricem in Africam traicere, atque intra paucos dies sine vilo certamine Carthaginem delere: veniam dedimus precantibus, emisimus ex obfidione, pacem cum victis fecimus, tutelā nostrā deinde duximus quum Africo bello vgerentur. Pro his imperitis, furiosum iuuenem sequentes, oppugnatam patriam nostram veniunt. Atque vtiā pro decore hoc nobis tantū & non pro salute cesset certamen. Non de possessione Siciliæ ac Sardinia, de quibus quondam agebatur, sed pro Italia nobis est pugnandum: nec est alius à tergo exercitus, qui, nisi nos vincimus, hosti obsistat: nec Alpes aliæ sunt, quas dum superat, comparari noua possint præsidia. Hic est obstandum, milites, velut si ante Romana mœnia pugnemus. Vnusquisque se non corpus suū solū, sed coniugem ac liberos paruos armis protegere putet: nec domesticas solū agitet curas, sed identidem hoc animo reputet, nostras nunc intueri manus senarum populūque Romanum: qualis nostra vis virtūque fuerit, talem deinde fortunam illius vrbis ac Romani imperii fore.

## ORATIO ANNIBALIS SVOS ADHORTANTIS.

### ARGUMENTVM.

Annibal in transitu Alpium barbaros multos bellum inferre volentes ceperat, quos in vinculis habuit. Adhortaturus milites ad pugnam, eorum barbarorum multa paria congregi, detractis vinculis, armata more Gallico, in cōspectu militum ex industria iubet: quibus aliquanto post dimissis, in hæc verba suos adhortatus est,

**S**I, quem animum in alienæ sortis exemplo paulo antè habuistis, eundem mox in vestra manda fortuna vestra habueritis, vicimus, milites. Neque enim spectaculum modò illud, sed quædam veluti imago vestræ conditionis erat. Ac nescio an maiora vincula maioresque necessitates vobis, quàm captiuis vestris, fortuna circumdederit, (dextra læuāque duo maria claudunt) nullam, ne ad effugium quidem, nauē habentibus: circā Padus amnis maior ac violentior Rhodano, à tergo Alpes vrgent, vix integris vobis ac vigentibus transitā. Hic vobis vincendum, aut moriendum, milites, est, vbi primū hosti occurristis:



& eadem fortuna quæ necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne à diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantum ac Sardiniam parentibus nostris ereptas, nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla prætia essent. Quicquid Romani tot triumphis partum congestumque possident, id omne nostrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem, agite, cum diis bene iuuantibus arma capite. Satis adhuc in vastis Lusitanæ Celtiberiæque montibus pecora consecrando, nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis: tempus est iam opulenta vos ac ditia stipendia facere, & magna operæ prætia mereri, tantum itineris per tot montes fluminæque, & tot armatas gentes emensos: hæc vobis terminum laborum fortuna dedit, hæc dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec quàm magni nominis bellum est, tam difficilem existimaueritis victoriam fore. Sæpe & contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inelyti populi regesque perleui momento victi sunt. Nam dempto hoc vno fulgore nominis Romani, quid est quod illi vobis comparandi sint? Vt viginti annorum militiam vestram cum illa virtute, cum illa fortuna taceam: ab Herculis columnis, ab Oceano, terminisque vltimis terrarum, per tot ferocissimos Hispaniæ & Galliæ populos vincentes huc peruenistis. Pugnabitis cum exercitu tyronæ, hac ipsa ætate cæso, victo, circūfessoque à Gallis, ignoto adhuc duci suo, ignoratæque ducem. An me in prætorio patris clarissimi imperatoris propè natum, certè educatum, domitorem Hispaniæ Galliæque, victorem eundem non Alpinarum modò gentium, sed ipsarum (quod multo maius est) Alpium, cum semestri hoc conferam duce, desertore exercitus sui? Cui si quis demptis signis Pœnos Romanosque hodie ostendat, ignoraturum certum habeo vtrius exercitus sit consul. Non ego illud parui æstimo, milites, quod nemo vestrum est cuius non ante oculos ipse sæpe militare aliquod ediderim facinus: cuius non idem ego virtutis spectator ac testis, notata temporibus locisque referre sua possim decora. Collaudastis me milites, donastis. alumnus prius omnium vestrum, quàm imperator, procedam acie aduersus ignotos inter se ignorantésque. Quocunque circumtuli oculos, plena omnia video animorum ac roboris, veteranium peditem, generosissimarum gentium equites frenatos & infrenatos: vos socios fidelissimos fortissimosque, vos Carthaginenses, tum ob patriam, tum ob iram iustissimam pugnatueros. Inferimus bellum, infestisque signis descendimus in Italiam, tanto audacius fortiusque pugnaturi, quanto maior spes maiorque animus inferentis est vim, quàm arcentis. Accedit præterea animos & stimulat dolor, iniuria, indignitas. Ad supplicium depoposcere me ducè primùm, deinde vos omnes qui Saguntum oppugnassetis, deditos vltimis cruciatibus affecturi fuere. Crudelissima gens ac superbissima, sua omnia sui que arbitrii facit: cum quibus bellum, cum quibus pacem habeamus, se modum imponere æquum censet: circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque, quos ne excedamus: neque eos quos statuit, obseruat. Ne transieris Iberum: nequid rei tibi sit cum Saguntinis. ad Iberum est Saguntum, nusquam te vestigio motueris. Parum est, quod veterrimas prouincias nostras Siciliam ac Sardiniam ademit, nisi adimat etià Hispaniam: & si inde cessero, in Africam transcendet. Transcèdet autè dico: duos consules huius anni, vnum in Africam, alterum in Hispaniam misere. Nihil vltimam nobis relictum est, nisi quod armis vindicauerimus. Illis timidis & ignavis licet esse qui receptum habent, quos ager suus, quos sua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipiet: vobis necesse est fortibus viris esse, & omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in prælio potius quàm in fuga mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam, vicistis: nullum ineitamentum ad vincendum homini à diis immortalibus acrius datum est.

duos suos ad coniungendos curis Fabio castris

adhortatur.

A R G V M E N T V M

Mitius in regem eorum cum exercitu periclitans, quum se in hunc locum venisset

de hinc castris, hinc castris, hinc castris, hinc castris, de coniungendis ca-

stris cum Fabio, ita cum suis agens.

Ac ego audire, milites, curis primum esse vultis, quicquid edidit, ita rem hanc

f. iii.

Ex vicefimoſecundo libro ab vrbe condita.

ORATIO M. MINVTII RVFFI MAGISTRI

equitum, qua in Q. Fabii Maximi dictatoris cunctationem acriter inuehitur.

ARGVMENTVM.

Q. Fabius Maximus dictator miſſus cum legionibus aduerſus Annibalem, per loca alta agmen ducebat modico ab hoſte interuallo, vt nec omitteret eum, neque congregetur: M. Minutius Ruffus magiſter equitum erat, ferox rapiduſque in conſiliis, ac lingua immodicus: is primùm inter paucos, deinde palàm conſilium prudentiàmque dictatoris eludebat atque reprehendebat, pro cunctatore ſegnem eum, pro cauto timidum appellans. Forrè per id tempus Maharbalem in agrum Falernum Annibal prædatum miſerat, quem, quum in caſtra perlatum eſſet populari vſque ad Sinueſſas aquas, tum demum Fabius per iuga montis Maſſici exercitum ducens, haud procul hoſte caſtra ponit. Hinc verò quum facile teſta colonorum Romanorum & domus ab hoſtibus incendi perurique viderentur, nec tum quidè vlla pugnæ mētio eſſet: idem Ruffus magiſter equitum in dictatorem hæc iactare cepit,

**S**pectatùmne huc ad rem fruendam oculis, ſociorum cædes & incendia venimus? nec ſi nullius alterius nos, ne ciuium quidem horum pudet, quos in Sinueſſam colonos patres noſtri miſerunt, vt ab Samnite hoſte tuta hæc ora eſſet, quam nūc non vicinus Samnis vrit, ſed Pœnus aduena, ab extremis orbis terrarum terminis noſtra cunctatione & ſocordia iam huc progreſſus? Tantum (proh dolor) degeneramus à patribus noſtris, vt præter quam oram illi Punicas vagari claſſes, dedecus eſſe imperii ſui duxerint, eam nos nunc plenam Numidarum hoſtium ac Maurorum iam factam videamus? Qui modò Saguntum oppugnari indignando, non homines tantum, ſed fœdera & deos ciebamus, tendentem ad mœnia Romanæ coloniæ Annibalem lenti ſpectamus? Fumus ex incendiis villarum agrorumq; in oculos atque ora venit: ſtrepūt aures clamoribus plorantiū ſociorū, ſæpius nos quàm deorū inuocantiū opem. Nos hic pecorū more per æſtios ſaltus deuiòſque calles exercitum ducimus, cōditi nubibus ſyluiſque? Si hoc modo peragrando cacumina ſaltuſque Furius recipere vrbe à Gallis voluiſſet, quo hic nouus Camillus nobis dictator vnicus in rebus afflictis quæſitus, Italiã ab Annibale recuperare parat, Gallorum Roma eſſet: quam vereor ne ſic cunctantibus nobis, Annibali ac Pœnis toties ſeruaerint maiores noſtri. Sed vir ac verè Romanus, quo die dictatorem cum ex autoritate patrum iuſſuque populi dictum, Veios allatus eſt nuntius: quum eſſet ſatis altum Ianiculū, vbi ſedens proſpectaret hoſtem, deſcendit in æquum, atque illo ipſo die media in vrbe, qua nūc buſta Gallorum ſunt, & poſtero die citra Gabios cecidit Gallorum legiones. Quid poſt multos annos, quum ad furcas Caudinas ab Samnite hoſte ſub iugum miſſi ſumus: vtrū tandem L. Papyrius Curſor, iuga Samnii perluftrando, an Luceriam premendo, obſidendoque, & laceſſendo victorem hoſtem, depulſum ab Romanis ceruicibus iugum ſuperbo Samniti impoſuit? Modò conſuli Lucretio quæ alia res quàm celeritas victoriam dedit? quòd poſtero die quàm hoſtem vicit, claſſem grauem commeatibus, impeditam ſuo ipſam inſtrumento atque apparatu oppreſſit. Stultitia eſt, ſedendo aut votis debellari credere poſſe: armari copias oportet, deducendas in æquum, vt vir cum viro congregiatur. Audendo agendoque res Romana creuit, non his ſenſibus conſiliisue quæ timidi cauta vocant.

ORATIO MINVTII MAGISTRI EQVITVM,

qua ſuos ad coniungenda cum Fabio caſtra adhortatur.

ARGVMENTVM.

Minutius magiſter equitum cum exercitu periclitatus, quum ſe ſuoſque Fabii virtute ac diligentia ſeruatos eſſe intelligeret, temeritatem ſuam agnoſcens, de coniungendis caſtris cum Fabio, ita cum ſuis agebat,

**S**Aepe ego audiui, milites, eum primum eſſe virū, qui ipſe cōſulat quid in rem ſit: ſecundum, eum qui bene monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum

extremi ingenii esse. Nobis quoniam prima animi ingenique negata fors est, secundam ac mediam teneamus: & dum imperare discimus, parere prudenti, in animum inducamus. Castra cum Fabio iungamus. ad praetorium eius signa quum tulerimus, ubi ego eum parentem appellauero (quod beneficio eius erga nos ac maiestate eius dignum est) vos milites, eos quorum vos modò arma dextraque texerunt, patronos salutabitis: & si nihil aliud, gratorum certè nobis animorum gloriam dies hæc dederit.

## ORATIO FABII MAXIMI AD AEMILIVM

de Varrone, & ratione pugnandi cum  
hoste.

## ARGVMENTVM.

C. Terentius Varro, & L. Paulus Æmilius consules creati, quum contra Annibalem copias ducere pararent, Varro concionem fortè habuerat qua bellum in Italiam à nobilibus accersitum esse iactabat, quod nunquam restinguendum esset, si resp. plures Fabios imperatores haberet: se verò ipsum illud profligaturum, seu ad finem propè deducturum, quo primùm die hostem videret. Quod quum Fabius cognouisset, Paulum Æmilium ad se vocat, quem in hanc sententiam de collegæ temeritate, rationeque hostem aggrediendi alloquutus est,

**S**I aut collegam (id quod mallet) tui similem, Luci Æmili, haberes, aut tu collegæ tui similis esses, superuacanea esset oratio mea. nam & duo boni consules, etiam me tacete, omnia è Rep. fide vestra faceretis, & mali nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis reciperetis. Nunc & collegam tuam & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio est, quem video nequicquam & virum bonum & ciuem fore: si altera parte claudicet Resp. malis consiliis idem ac bonis iuris & potestatis erit. Erras enim L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Teretio, quam cum Annibale futurum censes. nescio an infestior hic aduersarius, quam ille hostis maneat: & cū illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es: & aduersus Annibalem legionisque eius tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est: Varro dux tuis militibus te est oppugnaturus. Ominis etiã tibi causa absit C. Flamini memoria: tamen ille consul demum, & in prouincia, & ad exercitum cœpit furere: hic priusquam peteret consulatum, deinde in petendo consulatu, nunc quoque consul priusquam castra videat aut hostem, insanit. Et qui tantas iam nunc procellas, prælia atque acies iactando inter togatos ciet, quid inter armatam iuuentutem censes facturum, & ubi extemplo verba res sequitur: Arqui, si hic (quod facturum se denūtiat) extemplo pugnaverit, aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoro: aut nobilior alius Thrasymano locus nostris cladibus erit. Nec gloriandi tempus aduersus vnum est, & ego contemnendo potius quam appetendo gloriam, modum excefferim. Sed ita res habet: vna ratio belli gerendi aduersus Annibalem est, qua ego gessi: nec euentus modò hoc docet, (stultorum iste magister est) sed eadem ratio quæ fuit, futuræque, donec res eadè manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro: omnia circa plena ciuium ac sociorum sunt: armis, viris, equis, com meatibus iuuant iuuabuntque. id iam fidei documentum in aduersis rebus nostris dederunt. meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Annibal contra in aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque, procul à domo, procul à patria: neque illi terra neque mari est pax: nullæ eum vrbes accipiunt, nulla mœnia: nihil vsquam sui videt: in diem rapto viuit: partem vix tertiam eius exercitus habet, quem Iberum amnem traiecit: plures fames quam ferrum absumpsit, nec iis paucis iam victum suppeditat. Dubitas ergo quin eum sededo superaturi simus, qui senescat in dies, non com meatus, non supplementum, non pecuniam habeat? Quandiu pro Geryonis castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum est: Sed ne aduersus te quidem ego gloriabor. Cn. Seruilius atque Attilius proximi consules vide quemadmodum eum ludificati sint. Hæc vna salutis est via, L. Paule, quam difficilem infestamque ciues magis quam hostes facient. Idem enim tui quod hostium milites, volent: idem Varro consul Romanus, quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. Duobus ducibus vnus resistas oportet: resistes autem, aduersus famam rumoresque hominum si satis firmus steteris: si te neque collegæ vana gloria, neque tua falsa infamia mouerit. A veritate laborare nimis ius sæpe aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui spreuerit, veram

habebit. Sine, timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vobis: malo, te sapiens hostis metuat, quàm stulti ciues laudent. Omnia audentè contemnet Annibal, nihil temere agentè metuet. Nec ego vt nihil agatur moneo, sed vt agentè te ratio ducat, nò fortuna. Tuæ potestatis semper, tuæque omnia sint. Armatus intetúsque sis: neque occasione tuæ desis, neque suam occasionem hosti des. Omnia non properanti clara certaque erunt: festinatio, improuida est & cæca.

### ORATIO P. SEMPRONII TUDITANI

tribuni militum, qua suos ad erumpendum  
adhortatur.

#### ARGUMENTVM.

Cannensi clade, quum mortuo Paulo Æmilio consule, Varro collega Venusinam cum quinquaginta equitibus profugisset: binis in castris inermis multitudo, quæ superfuerat pugna, sine ducibus erat. Itaque eos qui in minoribus erant castris, alii monent vt nocte, dum hostis graui somno detineretur, ad se transfirent, Canusium inde tacitè ac sine mora vno agmine abituros. Fortè P. Sempronius Tuditanus tribunus militum in minoribus castris erat, qui quum de transitu ab aliis aliter sentiri videret, ita suos ad erumpendum adhortatur,

**C**api ergo mauultis ab auarissimo & crudelissimo hoste: æstimarique capita vestra pretio: & exquiri ab interrogantibus, Romanus ciuis sis, an Latinus socius: vt ex tua contumelia & miseria alteri honos quæratur, non tibi? Non vos quidem Lucii Æmili, qui se bene mori quàm turpiter viuere maluit: & tot fortissimorum virorum, qui circa eum cumulati iacent, similes estis. Sed antequam opprimat lux, maioraque hostium agmina obsepiant iter, per hos, qui inordinati & incompositi obstrepunt portis, erumpamus, ferroque atque audacia iter fiat quanuis per confertos hostes. Cuneo quidem hoc laxum atque solutum agmen, ac si nihil obstet, transibimus. Itaque ite mecum, qui & vosmetipsos & Rempublicam saluam vultis.

### ORATIO CAPTIVORVM CANNENSI

clade Romanorum ad patres.

#### ARGUMENTVM.

Hoc cum proximè præcedere coniunctum est. Milites Romani qui ex minoribus castris consilio eorum qui erant in maioribus, exhortatione insuper P. Sempronii Tuditani, cum ipso erumpere noluerant, in potestatem hostium simul cum castris venerunt. Ex iis, decem paulo post iureiurando adigit Annibal, si missi Romam non redimerentur, ad hostem redituros. Ita Romam adactos eos mittit, vt aurum in redemptionem suam impetrarent. Propositum autem fuit pretium in capita, equiti quingeni quadrigati nummi, pediti triceni, seruo centum. Profecti, ita causam suam apud patres egerunt,

**P**atres conscripti, nemo vestrum ignorat, nulli vnquam ciuitati viliores fuisse captiuos quàm nostræ: ceterum (nisi nobis plus iusto nostra placet causa) non alii vnquam minus negligendi vobis, quàm nos, in hostium potestatem venerunt. Non enim in acie per timorem arma tradidimus, sed quum propè ad noctem superstites cumulis caesorum corporum, prælium extraxissemus, in castra recepimus nos: diei reliquum ac noctem insequentem fessi labore ac vulneribus vallum sumus tutati. Postero die quum circumfessi ab exercitu victore, aqua arceremur, nec vlla alia iam per confertos hostes erumpendi spes esset, nec esse nefas duceremus, quinquaginta millibus hominum ex acie nostra trucidatis, aliquid ex Cannensi pugna Romanum militem restare: tum demum pacti pretium, quo redempti dimitteremur, arma in quibus nihil iam auxilii erat, hosti tradidimus. Maiores nostros quoque acceperamus se à Gallis auro redemisse, & patres nostros asperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captiuorum redimendorum gratia Tarentum misisse. Atqui in Italia cum Gallis, & ad Heracleam cum Pyrrho, vtraque non tam clade infamis, quàm pauore & fuga pugna fuit. Cannenses campos acerui Romanorum corporum tegunt: nec supersumus pugna, nisi in quibus trucidandis & ferrum & vires hostem defece- runt. Sunt etiam de nostris quidam qui nec in acie quidem refugerunt, sed præsidio castris relictis, quum castra traderentur, in potestatem hostium venerunt. Haud equidem vilius

ciuis aut commilitonis fortunæ aut conditioni inuideo. nec premendo alium, me extulisse velim videri, ne illis quidem (nisi pernicitatis pedum & cursus aliquod præmium est) qui plerique inermes ex acie fugientes, non prius quàm Venusiæ aut Canusii constitierunt, se nobis meritò prætulerunt, gloriatiq; sunt in se plus quàm in nobis præsidii Reip. esse. Sed illis vt bonis & fortibus viris militibusq; vtemini, & nobis iam promptioribus pro patria, quòd beneficio vestro redempti atque in patriam restituti fuerimus. Delectum ex omni ætate & fortuna habetis: octo millia seruatorum armari audio: non minor numerus noster est, nec maiori pretio redimi possumus quàm hi emuntur. Nam si conferam nos cum illis, iniuriam Romano nomini faciam. Illud etiam in tali consilio vobis animaduertendum, P.C. censeam, si duriores esse velitis, (quod nullo nostro merito faciatis) cui nos hosti relicturi sitis. Pyrrho videlicet, qui nos hospitum numero habuit captiuos: an barbaro ac Pœno, qui vtrum auarior an crudelior sit, vix æstimari potest? Si videatis catenas, squalorem, deformitatèq; ciuium vestrorum, non minus profectò vos ea species moueat, quàm si ex altera parte cernatis stratas Cannensibus campis legiones vestras. Intueri potestis sollicitudinem & lacrymas in vestibulo curiæ stantium cognatorum nostrorum, expectantiumq; responsum vestrum? Quum ii pro nobis, próque iis qui absunt, ita suspensi ac solliciti sint, quem censeatis animum ipsorum esse quorum in discrimine vita liberatq; est. Si mediussidius ipse in nos mitis Annibal contra naturam suam esse velit, nihil tamen nobis vita opus esse censeamus, quum indigni vt à vobis redimeremur, visi sumus. Rediere Romam quondã remissi à Pyrrho sine pretio, capti: sed rediere cū legatis primoribus ciuitatis ad redimendos sese missi: redeam ego in patriam trecentis nummis non æstimatus ciuis? Suum quisque habet animum, P.C. scio in discrimine esse vitam corpúsq; meum: magis me famæ periculum mouet, ne à vobis damnati ac repulsi habeamur. neque enim vos pretio pepercisse homines credent.

ORATIO T. MANLII TORQVATI, NE CAPTIUI REDIMERENTUR.

ARGVMENTVM.

Hoc cum priore oratione coniunctum est. Posteaquam captiui dicendi finem fecerunt, ex templo ab ea turba quæ in vestibulo curiæ stabat, clamor flebilis sublatus est, orabantque vt sibi liberos, fratres, cognatos, redderent patres. Tum senatus ea de re haberi coepit, quo quum aliis captiuos redimendos de publico, aliis de priuato, aliis ex ærario dandam pecuniam mutuò referentibus, variaretur sententiis: tum demum T. Manlius Torquatus rogatus sententiam, vnus nullo pacto redimendos esse ita suasisit.

**S**I tantummodo postulassent legati pro iis qui in hostium potestate sunt, vt redimerentur, sine vllius insectatione eorū breui sententiam peregissem. Quid enim aliud quàm admonendi essetis vt morem traditum à patribus, necessario ad rem militarem exemplo seruaretis? Nunc autem quum propè gloriati sint quòd se hostibus dederint, præferrique non captis modò in acie ab hostibus, sed etiam iis qui Venusiam Canusiumque peruenierunt, atque ipsi C. Terentio consuli, æquum censuerint, nihil vos eorum P.C. quæ illic acta sunt, ignorare patiar. Atque vtinam hæc quæ apud vos acturus sum, Canusii apud ipsum exercitum agerè, optimum testem ignauiæ cuiusque & virtutis: aut vnus hic saltem adesset P. Sempronius, quem si isti ducem sequuti essent, milites hodie in castris Romanis, non captiui in hostium potestate essent: & cum fessis pugnando hostibus, tum victoria lætis, & ipsis plerisque regressis in castra sua, noctem ad erumpendum liberã habuissent, & septena armatorum hominum millia erumpere etiam inter confertos hostes potuissent. neque enim per se ipsi hoc facere conati sunt, neque alium sequi voluerunt. Nocte propè tota P. Sempronius Tuditanus non destitit admonere, adhortariq; eos, dum paucitas hostium circa castra, dum quies ac silentium esset, dum nox inceptum tegeret, se ducem sequeretur: ante lucem peruenire in tuta loca, in sociorum vrbes posse. Sicut auorum memoria P. Decius tribunus militum in Samnio, sicut nobis adolescètib; priori Punico bello Calpurnius Flamma, trecentis voluntariis, quum ad tumulum eos capier, dum situm inter medios hostes, duceret, dixit, Moriamur, milites, & morte nostra cripiamus ex obsidione circumuentas legiones. Si hoc P. Sempronius diceret, nec ros quidem, nec Ro-

manos vos duceret, si nemo tantæ virtutis existeret comes: viam non ad gloriam magis quàm ad salutem ferentem demonstrat, ducem se in patriam, ad parentes, ad coniuges ac liberos, facit. Vt seruemini, deest vobis animus: quid si moriendum pro patria esset, faceretis? Quinquaginta millia ciuium sociorùmque circa vos eo ipso die cæsa iacent: si tot exempla virtutis non mouent, nihil vnquam mouebit. si tanta clades vobis vilem vitam nõ fecit, nulla faciet. Liberi atque incolumes desiderate patriam, imò desiderate dum patria est, dum ciues eius estis: serò nunc desideratis, diminuti capite, ab alienati iure ciuium, serui Carthaginensium facti. Pretio redituri estis eò vnde ignauia ac nequitia abistis: P. Sempronium ciuem vestrum non audistis, arma capere ac se iubentem sequi: Annibalem paulo post audistis, castra prodi & arma tradi iubentem. Quam ego ignauiam istorum accuso, quum scelus possim accusare: non enim modò sequi recusarunt bene monentem, sed obsistere ac retinere conati sunt, nisi strictis gladiis viri fortissimi inertes summouissent. Prius, inquam, P. Sempronio per ciuium agmen quàm per hostium fuit erumpendum. Hos ciues patria desideret, quorum si cæteri similes fuissent, neminem hodie ex iis qui ad Cannas pugnauerunt, ciuem haberet? Ex millibus septem armatorum sexcenti extiterunt qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent: neque iis quadraginta millia hostium obsistere. Quàm tutum iter duarum propè legionum agmini futurum censetis fuisse? Haberetis hodie viginti millia armatorum Canusii, fortia, fidelia, P. C. Nunc autem quemadmodum hi boni fidelesque; (nam fortes, ne ipsi quidem dixerint) ciues esse possunt: nisi quis credere potest fuisse qui erumpentibus, quin erumperent obsistere conati sint, aut non inuidere eos cum incolumitati, tum gloriæ illorum per virtutem partem, quum sibi timorem ignauiamque seruitutis ignominiosam causam esse sciant. Maluerunt in tentoriis latentes simul lucem hostemque expectare, quum silentio noctis erumpendi occasio esset. Atenim ad erumpendum è castris defuit animus, ad tutanda fortiter castra animum habuerunt: dies ac noctes aliquot obsessi, armati se ipsi tutati vallo sunt: tandem vltima ausi passique, quum omnia subsidia vitæ deessent, affectisque fame viribus, arma iam sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis quàm armis victi sunt. Orto sole hostis ad vallum accessit: ante secundam horam nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt arma ac seipsos. Hæc vobis ipsorum per biduum militia fuit. quum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt: quum pro vallo pugnandum erat, castra tradiderunt, neque in acie neque in castris vtilis. Vos redimam: quum erumpere castris oportet, cunctamini ac manetis: quum manere & castra tutari armis necesse est, & castra & arma & vos ipsos traditis hosti. Ego non magis istos redimendos, P. C. cenfeo, quàm illos dedendos Annibali, qui per medios hostes è castris eruperunt, ac per summam virtutem se patriæ restituerunt.

Ex vicefimo tertio libro ab vrbe condita.

ORATIO PACVII CALAVII CAMPANI  
ad populum Campanum.

ARGUMENTVM.

Pacuius Caluius Capuæ in summo magistratu erat, quum res Romana malè ad Thrasymenum gesta est. Is populum Campanum senatui iam diu infestum ratus id agitare, vt senatoribus trucidatis, si venirent hostes Romanorum, Annibali Capuam traderet: hoc populi consilium senatui declarat, omnesque tandem eò duxit vt si se in ipsius potestatem permitterent, facile ab insidiis se posse liberari arbitrarentur. Permissos in curiam claudit: conuocat populum, cui remita exposuit,

QVod sæpe optatis, Campani, vt supplicii sumendi vobis ex improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc nõ per tumultum expugnantes domos singulorum, quas praesidiis clientium seruatorumque tuentur, cum summo vestro periculo, sed tutam habetis ac liberam. Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec quicquam raptim aut fortè temere egeritis. De singulorum capite vobis ius sententiæ dicendæ faciam, vt quas quisque meritis est pœnas pendat. Sed ante omnia ita vos iræ indulgere oportet, vt potiore ira salateno, atque vtilitatem vestram habeatis. Etenim hos (vt opinor) odistis

senatores. nam senatum omnino non habere non vultis: quippe aut rex (quod abominandum) aut (quod vnum liberæ civitatis consilium est) senatus habendus est. Itaque duæ res simul agenda sunt vobis, ut & veterem senatū tollatis, & novum cooptetis. Citari singulos senatores iubebo, de quorum capite vos consulam. quod de quoque censueritis, fiet. Sed prius in eius locum, virum fortem ac strenuum novum senatorem cooptabitis, quam de noxio supplicium sumatur.

## ORATIO VARRONIS CONSVLIS QVA

legatis Campanorum respondet.

## ARGUMENTVM.

Post Cannensem cladem Romani à Campanis sperni contemni que cepti sunt, ut illud ostensuri fuerint, nisi prohibiti fuissent eorū præsertim memoria qui à Romanis missi erant per Siculas vrbes in præsidia, in quibus Campani erant nobilissimi. Horum igitur parentes ægrè impetrant ut legati ad Varronem consulem, Canusium, quò ipse ex fuga sese receperat, mitterentur. Profecti, Venusiæ consulem cum paucis inveniunt, vbi senatum populūque Campanum ægrè ferre nuntiant quòd ita infeliciter ad Cannas res gesta esset: ita placere ut quicquid bello vsui esset, benignè ac comiter ministraretur. Varro post in hanc sententiam legatis respondit,

**M**orem magis loquendi cum sociis seruastis, Campani, iubentes quæ ad bellum essent opus imperare, quàm conuenienter ad præsentem fortunæ nostræ statum loquuti estis. Quid enim nobis ad Cannas relictum est, ut, quasi aliquid habeamus, id quod deest, expleri à sociis velimus? pedites vobis imperemus, tanquam equites habeamus? pecuniam deesse dicamus, tanquam ea tantum desit? Nihil, ne quod suppleremus quidem, nobis reliquit fortuna: legiones, equitatus, arma, signa, equi virique, pecunia, cōmeatus, aut in acie, aut in ruinis postero die amissis castris perierunt: itaque non iuuetis nos in bello oportet, Campani, sed cum Pœnis bellum pro nobis suscipiatis. Veniat in mentem ut trepidos quondam maiores vestros intra moenia compulsos, nec Samnitum modò hostem, sed etiam Sidicinum pauentes, receptos in fidem apud Satriculam defenderimus: ceptumque propter vos cum Samnitibus bellum, per centum propè annos, variante fortuna euentum, tulerimus. Adiciate ad hæc, quòd foedus æquum dedimus, quòd leges nostras, quòd ad extremum (id quod ante Cannensem certè cladem maximum fuit) civitatē nostram magnæ parti vestrū dedimus, communicauimusque vobiscum. Itaque communem vos hanc cladem, quæ accepta est, credere, Campani, oportet, communem patriam tuendam arbitrari esse. Non cum Samnite aut Etrusco res est, ut quod à nobis ablatum sit, in Italia tamen imperium maneat: Pœnus hostis, ne Africæ quidem indigena, ab ultimis terrarum oris, freto Oceani, Herculisque columnis, expertem omnis iuris & conditionis & linguæ propè humanæ militem trahit. Hunc natura immitem, moribusque ferum, insuper dux ipse efferauit pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis: & (quod proloqui etiam piget) vesca humanis corporibus docendo. hos infandis pastos epulis, quos contingere etiam nefas sit, videre atque habere dominos, & ex Africa & à Carthagine iura petere, & Italiam Numidarum & Maurorum pati prouinciam esse, cui non, genito modò in Italia, detestabile sit? Pulchrum erit, Campani, prolapsum clade Romanum imperium, vestra fide, vestris viribus retentum ac recuperatum esse. Triginta milia peditum, quatuor equitum, arbitror ex Campania vos scripsisse: iam pecuniæ affatim esse, frum etique. qui si parem fortunæ vestræ fidem habetis, nec Annibal se vicisse sentiet, nec Romani se victos esse.

## ORATIO PEROLLÆ AD PACVIVM CALAUIUM

patrem de interficiendo Annibale.

## ARGUMENTVM.

Annibal auctoritate atque diligentiâ Pacuuii Calauii, (de quo paulo antè diximus) Capuā in fidē acceperat. Is urbem ingressus, se apud Calauium cenare velle pronunciat: cui cōuiuio tres modò Cāpanos adhibuit, in quibus Perolla filius Pacuuii, qui aliquāto antè patris deprecatione ac precibus Annibali placatus erat. Hic Perolla, hilariter cæteris epulis, vnus trinitis nec dominorū inuitatione vinci potuit, nec ipsius Annibalis, ut curis amaris & seclusis te-

tus cōiuaretur. Ac quum fortè ante noctem Pacuius ex conuiuio egressus, in hortum qui posticis ædium partibus subiectus erat, secederet: patrem filius Perolla sequutus, ita ut sequitur, consilium suum de interficiendo Annibale declarauit. Pater ex filio quum ea audiuisset, velut si iam interesset indigno atque detestabili facinori, filium ut deinde sequitur, ab indignitate & atrocitate facinoris flebiliter deterrebat. Filius inde precibus atque lacrymis patris victus, facinus conceptum se non editurum promisit.

**C**onsilium affero, pater, quo non veniam solum peccati quo defecimus ad Annibalē, impetraturi ab Romanis, sed in multo maiore dignitate & gratia simus Campani, quam fuimus vnquam. *Quum mirabundus pater, quidnam id esset consilii quæreret: toga reiecta ab humero, latus succinctum gladio nudat.* Iam ego, inquit, sanguine Annibalis fanciam Romanum fœdus. Te id prius scire volui, si fortè adesse dum facinus patrat, malles.

### ORATIO PACVII CALAVII FILIVM à facinore dehortantis.

**P**er ego te, fili, quæcunque iura liberos iungunt parentibus, precor quæsoque ne ante oculos patris facere & pati omnia infâda velis. Pauca horæ sunt intra quas iurâtes per quicquid deorū est, dextras dextræ iungentes, fidem obstrinximus, ut sacratis de mensis essemus: digressi à colloquio, extemplo in eum armamur: Surgis ab hospitali mensa, ad quam tertius Campanorum adhibitus es ab Annibale: eam ipsam mensam cruentare vis hospitis sanguine? Annibalē modò pater filio meo potui placare: filiū Annibali nō possum: Sed si nihil sancti, non fides, non religio, non pietas audiantur, infanda si non perniciem nobis cum scelere afferunt, vnus aggressurus es Annibalē? Quid illa turba tot liberorū feruorūque? quid in vnum intenti omnium oculi? quid tot dextræ? torpescēntne? In amentia illa, vultum ipsius Annibalis, quem armati exercitus tremunt, quem horret populus Rom. tu sustinebis? Et, si alia auxilia desint, me ipsum ferire, corpus meum opponētem pro corpore Annibalis, sustinebis? Atqui per meum pectus petendus ille tibi atque transfigendus est. Sed deterreri hîc sine te potius quàm illic vinci: valeât preces apud te meæ, sicut pro te hodie valuerunt.

### ORATIO PEROLLÆ QVA PACVVI patri respondet.

**E**go quidem quam patriæ debeo pietatem, exoluam patri. Tuam doleo vicem, cui ter proditæ patriæ sustinendum est crimen: semel, quum defectionem iniisti ab Romanis: iterum, quum pacis cum Annibale fuisti author: tertium hodie, quum restituendæ Romanis Capuæ mora atque impedimentum tu es. O patria, ferrum quo pro te armatus hâc arcem defendere volebam, hosti minimè parcens, quando parens extorquet, recipe.

### ORATIO HIMILCONIS BARCHINÆ factionis viri aduersus Hannonem.

#### ARGVMENTVM.

Mago Amilcaris filius Carthaginem profectus, senatu dato, quæ ad Cannas gesta erant, expositis, ob victoriam diis sacrum, autoritate Annibalis, haberi iusserat. Himilco ex hoc tam læto nuntio nactus occasionem Hannonis alterius factionis principis eludendi, & reprehendendi, ita eum aggressus est. Hanno deinde respondet.

**Q**uid est, Hanno? etiam nunc te pœnitet belli suscepti aduersus Romanos? Iube dedi Annibalē: veta in tam prosperis rebus gratias diis immortalibus agi: audiamus Romanum senatorem in Carthaginensium curia.

### ORATIO HANNONIS, HIMILCONI respondentis.

**T**acuissē hodie, P. C. nequid in communi omnium gaudio, minus lætum quod esset vobis, loquerer: nunc interrogante senatore, pœniteatne me adhuc suscepti aduersus Romanos belli, si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar: quorū alterum est hominis alienæ libertatis oblitus, alterum, suæ. Respondeā igitur Himilconi, non desuisse pœnitere



tere me belli, neque desitutum ante inuictum nostrum imperatorem incusare quam finitum aliqua tolerabili conditione bellum videro. Nec mihi pacis antiquæ desiderium vlla alia res quàm pax noua finiet. Itaque ista quæ Mago modò iactauit, Himilconi cæterisque Annibalis satellitibus iam læta sunt: mihi possunt læta esse, quia res bello bene gesta, si volumus fortuna vti, pacem nobis æquiorẽ dabũt. Nam si prætermittimus hoc tempus, quo magis dare quàm accipere possumus videri pacem: vereor ne hæc quoq; lætitia luxuriet nobis, ac vana euadat. Quæ tamen nũc quoque qualis est? Occidi exercitus hostium: tute milites mihi, quid aliud rogares si esses victus? Hostium cepi bina castra, prædæ videlicet plena & comineatum: frumentum & pecuniam date. Quid aliud, inquam, si spoliatus, si exutus castris esses, peteres? Et ne omnia ipse mirer, (mihi quoque enim, quoniam respondi Himilconi, interrogare ius fasque est) velim seu Himilco, seu Mago respondeat, quum ad internecionem Romani imperii pugnatum ad Cannas sit, constetque in defectione totam Italiam esse: primũ, ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos: deinde, ecquis homo ex quinque & triginta tribubus ad Annibalem transfugerit. *Quum utrumque Mago negasset*, Hostium quidem ergo, *inquit*, Romæ adhuc multũ superest: sed multitudo ea quid animorum quidve spei habeat, scire velim. *Quum id nescire se Mago diceret*, Nihil facilius scitu est, *inquit*. Ecquos legatos ad Annibalẽ Romani miserunt de pace: ecquam denique mentionem pacis Romæ factam esse, allatum ad vos est? *Quum id quoque negasset*, Bellũ igitur, *inquit*, tam integrũ habemus, quàm habuimus qua die Annibal in Italiam est ingressus. Quàm varia victoria priore Punico bello fuerit, plerique qui meminimus supersumus. Nũquam terra marique magis prosperæ res nostræ visæ sunt, quàm ante consules C. Lucretium & A. Posthumium fuerunt: Lucretio & Posthumio consilibus deuicti ad Aegates insulam sumus. Quòd si (id quod dii omen auertant) nunc quoque fortuna aliquid variauerit, tum pacem speratis quum vincimur, quam nunc quum vincimus, dat nemo? Ego, si quis de pace consulat seu deferenda hostibus, seu accipienda, habeo quid sententiæ dicam. si de iis quæ Mago postulat, refertis, nec victoribus mitti attinere puto, & frustrantibus nos falsã atque inani victoria, multo minus cenſeo mittenda esse.

## ORATIO SAMNITIVM LEGATORVM AD

Annibalem, qua petunt vt opem aduersus Romanos ferat.

## ARGVMENTVM

Marcellus Nolam urbem quum teneret præfidiis, in agrum Hirpinum & Samnitium Caudinorum excursionem faciendo, ferro & igni omnia vastabat. Iis cladibus vterque populus adductus legatos ad Annibalem conquestum iniurias mittit. Priores Samnites ita iniurias exposuerunt,

**H**ostes populi Romani, Annibal, fuimus, primũ per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari poterant: posteaquam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus: à quo relictis, pacem necessariam accepimus: fuimusque in ea per annos propè quinquaginta ad id tempus quo in Italiam venisti. Tua nos non magis virtus fortunæque, quàm vnica comitas ac benignitas erga ciues nostros, quos captos ad nos remisisti, ita conciliauit tibi, vt te saluo atque incolumi amico, non modò populum Romanum, sed ne deos quidem iratos (si dici fas est) timeremus. At hercule non solum incolumi atque victore, sed præſente te, quum ploratum propè coniugum ac liberorum nostrorum exaudire, & flagrantia tecta posses conspicerẽ, ita sumus aliquoties hac ætate deuastati, vt M. Marcellus non Annibal vicissè ad Cannas videatur, glorienturque Romani, te ad vnum modò icũ vigentem, veluti iaculo emissò torpere. Per centum propè annos cum populo Romano bellum gessimus, nullo externo adiuti nec duce, nec exercitu, nisi quòd per biennium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires, quàm viribus suis nos defendit. Non ergo secundis rebus nostris gloriabimur, duos consules ac duos consularẽ exercitus à nobis sub iugum missos, & si qua alia aut læta aut gloriosa nobis euenerunt: quæ aspera aduersæque tũc acciderunt, minore indignatione referre possumus quàm quæ hodie euertiunt. Magni dictatores cũ magistris equitum, bini cõsules cum binis consularibus exercitibus ingrediebantur fines nostros antè exploratò, & subsidiis positis,

& sub signis ad populandum ducebant: nunc propè vnitus & parui ad tuendam Nolam præsidii præda sumus. Iam ne manipulatim quidem, sed latronum modo, percurfant totis finibus nostris, negligentius quàm si in Romano agro vagarentur. Causa autem hæc est, quòd neque tu defendis: & nostra iuuentus, quæ si domi esset, tutaretur, omnis sub signis militat tuis. Nec te, nec exercitum tuum norim, nisi à quo tot Romanas acies fufas stratâsque sciam, ei facile esse ducam opprimere populatores nostros, vagos, sine signis, palatos quò quenque trahit quanuis vana prædæ spes. Numidarum paucorum illi quidem præda erunt, præsidiumque missum nobis erit, & Nolæ ademeris: si modò quos vt socios beres dignos duxisti, haud indignos iudicas quos in fidem receptos tuearis.

Ex vicefimoquarto libro ab vrbe condita.

ORATIO FABII MAXIMI AD POPVLVM

de deligendo imperatore.

ARGVMENTVM.

Fabius sub finem anni Romam rediens, comitia consularia edixerat, quibus prærogatiuæ iuniorum T. Octacilium, qui eius Fabii sororis filiam habebat vxorem, & M. Æmilium Regillū consules dixerunt. Quod vbi Fabius intellexit, hac concione suadebat nec Octacilio rerum & imperii summam deferendam esse, nec consulem eum habendum: videndum autem cui bellum mandari posset aduersus Annibalem.

SI aut pacem in Italia, aut bellum cum eo hoste haberemus in quo negligentia aut errori locus esset: qui vestris studiis, quæ in campum ad mandandos quibus velitis honores, affertis, moram vllam afferret, is mihi parum meminisse videretur vestrae libertatis. Sed quum in hoc bello, cum hoc hoste nūquam ab vllō duce sine ingenti nostra clade erratum sit, eadem vos cura qua armati in aciem descenditis, inire suffragium ad creando consules decet, & sibi sic quenque dicere, Annibali imperatori parem consulem nomino. Hoc anno ad Capuam Iubellio Taureæ Cápáno summo equiti prouocanti, summus Romanus eques Afellus Claudius oppositus: aduersus Gallum quondam prouocantem in ponte Anienis, Manlium fidentem & animo & viribus misere maiores nostri. Ob eandem causam haud multis annis post fuisse non negauerim cur M. Valerio nō diffideretur arma capienti aduersus similiter prouocantem ad certamen Gallum. Quemadmodum pedites equitesque optamus vt validiores, si minus, vt pares hosti habeamus: ita duci hostium parem imperatorem quæramus. Quum qui est summus in ciuitate dux, eum legimus, tum repentē lectus, in annum creatus, aduersus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neque tēporis neque iuris inclusum angustiis, quo minus ita omnia gerat administratque vt belli tempora postulabunt: nobis autem in apparatu ipso, ac tantum inchoantibus res, annus circumagitur. Quoniā quales viros creare vos consules deceat, satis est dictum: restat vt pauca de eis in quos prærogatiuæ fauor inclinauit, dicam. M. Æmilium Regillus, flamen est Quirinalis, quem neque mittere à sacris, neque retinere possumus, vt non deum aut belli deferamus curam. Octacilius, sororis meæ filiam vxorem atque ex ea liberos habet: cæterum non ea vestra in me maiorēque meos merita sunt, vt non potio rem priuatis necessitudinibus rempublicam habeam. QUILIBET nautarū veterumque tranquillo mari gubernare potest: vbi sæua orta tempesta est, ac turbato mari rapitur vento nauis, tum viro & gubernatore opus est. Non tranquillo nauigamus, sed iam aliquot procellis submersi penē sumus. Itaque quis ad gubernacula sedeat, summa cura prouidendum ac præcauendum nobis est. In minore re experti, T. Octacili, operam tuam sumus: haud sanē, cur ad maiora tibi fidamus, documentum quicquam dedisti. Classē hoc anno, cui tu præfuisi, trium rerum causa parauimus: vt Africa ora popularetur, vt tuta nobis Italiae litora essent: ante omnia, ne supplementum cum stipendio cōmeatūque ab Carthagine Annibali transportaretur. Create consulem T. Octacilium, nō dico, si omnia hæc, sed si aliquid eorū reip. præstitit. Sin autem te classē obtinente, etiam velut pacato mari, quælibet Annibali tuta atque integra ab domo venerunt: si ora Italiae

infestior hoc anno quàm Africæ fuit: quid dicere potes cur te potissimū ducem Annibali hosti opponant? Si consul esses, dictatorem dicendum exemplo maiorum nostrorum censeremus: neq; tu id indignari posses, aliquem in ciuitate Romana meliorem bello haberi quàm te. Magis nullius interest quàm tua, T. Octacili, non imponi ceruicibus tuis onus, sub quo cõcidas. Ego magnopere suadeo, eodem animo quo, si stantibus vobis in acie armatis, repète deligendi duo imperatores essent, quorū ductu atq; auspicio dimicaretis, hodie quoque consules creetis, quibus sacramenta liberi nostri dicant, ad quorum edictum cõueniant, sub quorum tutela atque cura militēt. Lacus Thrasymenus & Cannæ, triste ad recordationem exemplar: at ad præcauendum simile, vilia documenta sunt.

## ORATIO T. GRACCHI AD MILITES:

## ARGUMENTVM.

Ad Beneuentum T. Gracchus in castris legiones magna ex parte Volonum seruorum habebat, inter quos quum fortè quæri audiret quando libertate donarentur: missis ad senatum hac de re literis, quibus eorum fortitudinem laudabat, impetrauit vt quod è re publica videretur, faceret. Quod quum ab ipso referente audirent, liberos item se facturum qui egregiè pugnaissent, dicentem, nihil quàm in hostem pugnare malebant: adeo libertatis dulcedo eos mordebat. Quum verò eorum quatuor millia legnius cum hoste cõgressa, metu pœnæ, collem qui non procul à castris aberat, cepissent, postero rament die inde acitos cum cæteris libertate donauit. Concione inde aduocata, ita eos qui secessissent, se multaturum pronuntiauit;

**P**riusquam omnes iure libertatis æquassem, neminem nota strenui aut ignaui militis notasse volui: nunc exsoluta iam fide publica, ne discrimen omne virtutis ignauiæque pereat, nomina eorum qui detrectatæ pugnae memores secessionem paulo antè fecerunt, referri ad me iubebo, citatosque singulos iureiurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter quàm stantes cibum potumque, quoad stipendia facient, capturos esse. Hanc multam ita æquo animo feretis, si reputabitis nulla ignauiæ nota leuio-re vos designari potuisse.

ORATIO L. PINARII PRÆFECTI PRÆSIDI  
dii Romanorum Ennæ, qua suos exhortatur.

## ARGUMENTVM.

L. Pinarius Ennæ præsidii Romanorum præfectus, præsidium Murgantiæ ab incolis proditum oppressumque audiens, diligenter videbat ne Ennenses quoque præsidii cuius erat præfectus, prodere atque opprimere possent. Iamque non nihil de prodicione cū Himilcone pacta audiebat, quū reposcentibus Ennensibus clauas portarum ciuitatis, pertinaciter negat se daturum. Ii quū nulla ratione pervincere se posse viderent vt redderetur, vindictam aliquam suæ libertatis se quæsituros denuntiant. Tum Pinarius sibi concilium dari populi postulat, vt sciret vtrum paucorum an vniuersæ ciuitatis ea denuntiata forent. Consensu itaque omnium cõcio in posterum diem edicitur. Ipse ex eo colloquio in arcem receptus, ita suorum animos in diem posterum comparat,

**C**redo ego vos audisse, milites, quemadmodum præsidia Romana ab Siculis circumuenta & oppressa sint per hos dies. Eam vos fraudè deum primò benignitate, dein vestra ipsi virtute dies noctesque perstando ac peruigilando in armis, vitastis: vtinam reliquum tempus nec patièdo infanda, nec facièdo, traduci possit. Hæc occulta fraude cautio est, qua quia adhuc minus cuiquam successit, apertè ac propalam clauas portarum reposcunt. Quas simul vt tradiderimus, Carthaginensium extemplo Enna erit, foediùsque hic trucidabimur quàm Murgantiæ præsidium interfectum est. Noctem vnam ægrè ad cõsultandum sumpsi, qua vos certiores periculi instantis facerem. Ort. luce concionem habituri sunt ad criminandum me, cõcitandumque in vos populum. Itaque crastino die aut vestre aut Ennensium sanguine Enna inundabitur: nec præoccupati, peculii, nec occupantes, periculi quicquid habebitis, qui prior strinxerit ferrum, eius victoria erit. Intenti ergo omnes armatiq; signum expectabitis: ego in concione ero, & tempus, quoad omnia instructa sint, loquendo altere adòque traham. Quum toga signum dederò, tum mihi vndique clamore sublato, turbam inuadite, ac sternite omnia ferro, & cauetè ne quisquam

ex iis superstit à quibus aut vis aut fraus timeri possit. Vos, Ceres mater, ac Proserpina, precor, cæterique superi inferique dii, qui hanc urbem, hos sacros lacus lucosque colitis, ut ita nobis volentes propitii adsitis, si vitandæ, non inferendæ fraudis causa hoc consilii capimus. Pluribus vos, milites, hortarer, si cum armatis dimicatio futura esset: inermes, incautos ad fatietatem trucidabitis. Et consulis castra in propinquo sunt, nequid ab Himilcone & Carthaginienfibus timeri possit.

Ex vicesimoquinto libro ab vrbe condita.

ORATIO RELEGATORVM MILITVM AD

M. Marcellum de mutatione conditionis.

ARGVMENTVM.

Milites eos qui Cannensi cladi superfuerant, senatus in Siciliam ad militandum, quoad Punicum bellum finitum esset, non redituros Romam, relegauerat. Ii dum cum P. Lentulo militant, ab eo impetrant, ut primores equitum centurionumque in hyberna ad M. Marcellum mitterentur, qui de conditione atque fortuna cõquererentur. Ex iis vnus, potestate dicendi facta, in hæc verba causam suam egit,

CONsulem te, M. Marcelle, in Italiam adissemus, quã primùm de nobis, etsi non iniquum, certè triste senatusconsultum factum est: nisi hoc sperassemus, in prouinciam nos morte regum turbatam ad graue bellum aduersus Siculos simul Pœnósque mitti, & sanguine nostro vulneribusque magistratibus satisfacturos esse: sicut patrum memoria, qui capti à Pyrrho ad Heracleam erant, aduersus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt. Quanquam quod ob meritum nostrum succensuistis P. C. nobis, aut succensetis? Ambos mihi consules & vniuersum senatum intueri videor, quã te M. Marcelle intueor: quem si ad Cãnas consulẽ habuissemus, melior & reip. & nostra fortuna esset. Sine, quæso, priusquam de conditione nostra queror, noxam cuius arguimur, nos purgare. Si non deũ ira, nec fato, (cuius lege immobilis rerum humanarum ordo seritur) sed culpa periius ad Cannas: cuius tandem ea culpa fuit? militum? an imperatorum? Equidem miles nihil vnquam dicam de imperatore eo, cui præsertim sciam gratias à senatu actas quòd non desperauerit de repub. cui post fugam actam sit per annos omnes prorogatum imperium. Cæteros item ex reliquiis cladis eius, quos tribunos militum habuimus, honores petere & gerere, & prouincias obtinere audiimus. An vobis vestrisque liberis ignoscitis facilè P. C. in hæc vilia capita sæuitis: & consuli primoribusque aliis ciuitatis fugere, quum spes alia nulla esset, turpe non fuit, milites vtique morituros in aciem misistis? Ad Alliam propè omnis exercitus fugit: ad furcas Caudinas, ne expertus quidem certamen, arma tradidit hosti: (vt alias pudendas clades exercituum taceam) tamen tantum abfuit ab eo vt vlla ignominia iis exercitibus inureretur, vt & vrbs Roma per eum exercitum qui ab Allia Veios transfugerat, recuperaretur: & Caudinæ legiones, quæ sine armis redierat Romam, armatæ remissæ in Samnium, eundem illum hostem sub iugum miserint qui hac sua ignominia lætatus fuerat. Cannensem verò quisquã exercitum fugæ aut pauoris insimulare potest, vbi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt? vnde consul cum equitibus quinquaginta fugit: vnde nemo superest, nisi quem hostis cædendo fessus reliquit? Quum captiuis redemptio negabatur, nos vulgò homines laudabant quòd reip. nos seruassemus, quòd ad consulem Venusiam redissemus, & speciem iusti exercitus fecissemus: nunc deteriore conditione surius quam apud patres nostros fuerant captiui. Quippe illis arma tantum atque ordo militandi, locusque in quo tenderent, in castris est mutatus, quẽ tamen semel nauata reip. opera, & vno felici prælio recuperarunt. nemo eorum relegatus in exiliũ est, nemini spes emerendi stipendia est adempta: hostis denique est datus, cum quo dimicantes, aut vitam semel aut ignominiam finirent. nos (quibus, nisi quòd cõmisimus vt quisquam ex Cannensiacie miles Romanus superesset, nihil obiici potest) non solum à patria procul Italiãque, sed ab hoste etiam relegati sumus, vbi senescamus in exilio: nequa spes, nequa occasio abolendæ ignominia, nequa placandæ ciuium iræ, nequa denique

bene moriendi sit. Neque ignominiae finem, nec virtutis praemium petimus, modo experiri animum, & virtutem exercere liceat. Laborem & periculum petimus, ut virorum, ut militum officio fungamur. Bellum in Sicilia iam alterum annum ingenti dimicatione geritur: vrbes alias Poenus, alias Romanus expugnat, peditum & equitum acies concurrunt: ad Syracusas terra marique res geritur: clamorem pugnantium, crepitumque armorum exaudimus refides ipsi & segnes, tanquam nec arma nec mantus habeamus. Seruorum legionibus T. Sempronius consul, toties iam cum hoste signis collatis pugnavit: operae pretium habeat libertatem, civitatemque. Pro seruis saltem ad hoc bellum exemptis nobis simul cōgredi cum hoste liceat, & pugnando quaerere libertatem. Vis tu mari, vis terra, vis acie, vis vr-bibus oppugnandis experiri virtutem? Asperrima quaeque ad laborem periculumque deposcimus: ut quod ad Cannas faciendum fuit, quamprimum fiat: quoniam quicquid postea viximus, id omne destinatum ignominiae est.

## ORATIO SYRACUSANORVM AD MARCELLUM de deditioe.

### ARGVMENTVM.

Syracusani, Hippocrate interfecto, Epicide ab Syraculis intercluso, occisis itē praefectis Eucididis: tempus venisse rati Romanis se reconciliandi, legatos de deditioe ad Marcellum mittunt. Legati rem ita apud Marcellum egerunt.

**N**equē primò Syracusani à vobis defecimus, sed Hieronymus, nequaquam tam in vos impius quam in nos: nec postea pacem tyranni caede compositam, Syracusanus quisquam, sed satellites regii Hippocrates atque Epicides oppressis nobis hinc metu, hinc fraude, turbauerunt: nec quisquam dicere potest, aliquādo nobis libertatis tempus fuisse quod pacis vobiscum non fuerit. Nunc certè caede eorum qui oppressas tenebāt Syracusas, quum primū arbitrii nostri esse cepimus, extemplo venimus ad tradenda arma, dedendos nos, urbem, moenia: nullam recusandam fortunam quae imposita à vobis fuerit. Gloriam captae nobilissimae pulcherrimaeque vr-bis Graecarum dii tibi dederūt, Marcellum: quicquid vnquam terra marique memorandum gessimus, id tui triumphii titulo accedit. Famam ne credi malis, quanta vrbs abs te capta sit, quam posteris quoque eam spectaculo esse. quod quisquis terra, quisquis mari venerit, nunc nostra de Atheniensibus Carthaginiensibusque trophaea, nunc tua de nobis ostēdat, \* incolumēsque Syraculas familiae vestrae, sub clientela nominis Marcellorum tutelaeque habendas tradas, ne plus apud vos Hieronymi, quam Hieronis memoria momenti faciat. diutius ille multo amicus fuit, quam hic hostis: & illius etiam benefacta persensistis, huius amensia ad perniciem tantum ipsius valuit.

## ORATIO L. MARTII QVA SVOS

milites exhortatur.

### ARGVMENTVM.

L. Martius eques Romanus erat, sub Cn. Scipionis disciplina multis annis edoctus, ad quem caesis duobus Scipionibus, milites sine dūce imperii summam detulerant. Is Afrubalem venire ad delendas exercitus Romani reliquias quum audiret, milites alios alia voce Scipionum mortem deplorantes increpans, quod non aliter quam mulierum ritu flerent, ita inflammavit, ut armis sumptis in hostem incompositè praefiducia venientem, velut rabie accensi incurrerent. Ac eo ipso concursu iam eorum impressiones atque imperus hostis non sustinens, fuga elabebatur, quum Martius suos insequentes remoratur, dato signo receptui. Hostes hac fuga nihilo diligentiores intentioresque, reliquias tantum duorum exercituum delectorum rati, nec stationes in castris habebant, nec vigiliarum ordines. Quae ubi Martio explorata fuerunt, iam demum iniecit consilium noctu in castra hostium irrupendi: vocataque concione, ita militum animos praeparavit.

**V**EL mea erga imperatores nostros viuos mortuosque pietas, vel praesens omnium nostrum, militum, fortuna fidem cuius facere potest, mihi hoc imperium, ut amplum iudicio vestro, ita re ipsa graue ac sollicitum esse. Quo enim tempore, nisi metus moerorem obstupesceret, vix ita copos mei essem ut aliqua solatia inuenire aegro animo possem, cogor vestram omnium vicem (quod difficillimum in luctu est) vnus consolari: & ne

tum quidem vbi quoniam modo has reliquias duorum exercituū patriæ conseruare possum, cogitandum est, auertere animum ab affiduo mœrore liber. Præstò est enim acerba memoria, & Scipiones me ambo dies noctesque curis insomniisque agitant, & excitant sæpe somno, neu se, neu inuictos per octo annos in his terris milites suos, commilitones vestros, neu Rempub. patiar inultam: & suam disciplinam suaque instituta sequi iubent: & vt imperiis viuorum obedientior nemo me vno fuerit, ita post mortem suam quod quaque in re facturos illos fuisse maximè censeam, id optimum ducere vos quoque velim milites, non lamentis lacrymisque tanquam extinctos prosequi: (viuunt enim vigentque famarum gestarum) sed quotiescunque occurreret memoria illorū, velut si adhortantes signūque dātes videatis eos, ita prælia inire. Nec alia profectò species hesternò die oculis animisque vestris oblata memorabile illud edidit prælium, quo documentum dedistis hostibus, non cum Scipionibus extinctum esse nomen Romanum: & cuius populi vis atque virtus non obruta sit Cannensi clade, ex omni profectò læuitia fortunæ emerfuram esse. Nunc qui tantum ausi estis sponte vestra, experiri libet quantum audeatis duce vestro authore. non enim hesternò die, quum signum receptui dedi sequētibus effusè vobis turbatum hostem, frangere audaciam vestram, sed differre in maiorem gloriā atque opportunitatem volui: vt postmodum præparati incautos, armati inermes atque etiam sopitos per occasionē aggredi possētis. Nec huius occasionis spem, milites, fortè temere, sed ex re ipsa conceptam habeo. A vobis quoque profectò si quis quærat quoniam modo pauci à multis, victi à victoribus castra tutati sitis: nihil aliud respondeatis, quàm id ipsum timentes vos, omnia & operibus firmata habuisse, & ipsos paratos instructosque fuisse. Et ita se res habet: ad id quod ne timeatur, fortuna facit, minimè cauti sunt homines: quia quod neglexeris, incautum atque apertum habeas. Nihil omnium nunc minus metuunt hostes, quàm ne obfessi modò ipsi atque oppugnati, castra sua vltro oppugnemus. Audeamus quod credi non potest ausu nos: eo ipso quod difficillimum videtur, facillimum erit. Tertia vigilia noctis silenti agmine ducam vos: exploratum habeo, non vigiliarum ordinem, non stationes iustas esse. clamor in portis auditus, & primus impetus, castra ceperit. tum inter torpidos somno, patientesque ad necopinatum tumultum, & inermes in cubilibus suis oppressos, illa cædes edatur, à qua vos hesternò die reuocatos ægrè ferebatis. Scio audax videri consilium: sed in rebus asperis & tenuibus fortissima quæque cōsilia tutissima sunt: quia si in occasionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omnifam quæras. Vnus exercitus in propinquo est: duo haud procul absunt: nunc aggredientibus par aliqua opportunitas est, & iam tentatis vestras atque illorum vires. Si diem proferimus, & hesternæ eruptionis fama contenti deserimus, periculum est ne omnes duces omnēsque copiarum cōueniant. Tres deinde duces, tres exercitus sustinebimus hostiū, quos Cn. Scipio incolumi exercitu nō sustinuit: Vt diuidendo copias periire duces nostri, ita separati ac diuisi opprimi possunt hostes. Alia belli gerendi via nulla est: proinde nihil præter notis proximæ opportunitatem expectemus. Ite, diis bene iuuantibus, corpora curate, vt integri vigentesque, eodem animo in castra hostium irrumpatis quo vestra tutati estis.

### Ex vicesimosexto libro ab vrbe condita,

## ORATIO VIBII VIRII CAMPANI AD CAMPANOS, qua ne se dedant Romanis, dissuadet.

### A R G V M E N T V M.

Annibal, qui nec Capuam propter obsidionem Romanorum venire posset, nec hostes congregari vellent: consilium Romæ obsidendæ, quod iā diu animo conceperat, perficere placuit. Interim longa obsidione defatigati Campani, maximè transfugarum supplicio, consilium dabant dedendæ Romanis Capuæ. Ac quum hac de re sententiam omnes rogarentur, Vibius Virius, qui author fuerat defectionis ab Romanis, rogatus sententiam, ita Campanorum animos à deditioe auertere conabatur,

**Q**uid vos eam deditioem fore censetis, qua quondam vt aduersus Samnites auxiliū impetraremus, nos nostraque omnia Romanis dedimus? lam è memoria ex-

cessit, quo tempore & in qua fortuna à populo Romano defecerimus? iam quemadmodum in defectione præsidium quod poterat emitti, per cruciatum & ad contumeliam ne cauerimus: quoties in obsidentes quam inimici eruperimus: castra oppugnauerimus? Annibalem vocauerimus ad opprimendos eos? hoc quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc cum miserimus? Age contra, quæ illi infestè in nos fecerint, repetite: ut ex eo quid speretis, habeatis. Quum hostis alienigena in Italia esset, & Annibal hostis, & cuncta bello arderent: ommissis omnibus, omisso ipso Annibale, ambos consules & duos consularis exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. Alterum annum circumuallatos inclusi solique nos fame macerant, & ipsi nobiscum vltima pericula, grauissimos labores perpeffi, circa vallum ac fossas sæpe trucidati, & propè ad extremum castris exuti. Sed omitto hæc. Vetus atque vñitata res est, in oppugnanda hostium vrbe labores ac pericula pati: illud iræ atque odii execrabilis indicium est. Annibal ingentibus copiis peditum equitumque castra oppugnauit, & ex parte cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. Profectus trans Vulturnum perussit Calenum agrum: nihil tanta sociorum clade auocati sunt. Ad ipsam urbem Romam infesta signa ferri iussit: eam quoque tempestatem imminentem spreuerunt. Transgressus Anienem, tria millia passuum ab vrbe castra posuit: postremò ad moenia ipsa & ad portas accessit: Romam se adepturum eis, nisi omitterent Capuam, ostendit: & non omiserunt. Feras bestias cæco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam auertas: Romanos Roma circumfessa, coniuges, liberi, quorum ploratus hinc quoque propè exaudiebatur: aræ, foci, deorum delubra, sepulcra maiorum vulsa, temerata, atque violata, à Capua non auerterunt: tanta aueritas supplicii expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. Nec iniuria forsitan: nos quoque idè fecissemus, si data fortuna esset. Itaque quando aliter diis immortalibus visum est, quum mortem ne recusare quidem debeam, cruciatus contumeliâsque quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte præterquam honesta, etiam leni possum: nõ videbo App. Claudium & Q. Fuluium victoria insolenti subnixos: neque vincetus per urbem Romam triumphis spectaculum trahar, ut deinde in carcere, aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, ceruicem securi Romanæ subiiciam: nec dirui incendique patriam videbo, nec rapi ad stuprum matronas Campanas, virginésque, & ingenuos pueros. Albam, unde ipsi oriundi erant, à fundamentis prouerunt, ne stirps, ne memoria originum suarum extaret: nedum eos Capuæ parafuros credam, cui infestiores quam Carthagini sunt. Itaque quibus vestrûm antè fato cedere, quam hæc tot & tã acerba videant, in animo est, iis apud me hodie epulæ instructæ paratæque sunt: satiatis vino ciboque, poculû idè quod mihi datum fuerit, circumferetur. Ea potio corpus à cruciatu, animum à cõtumeliis, oculos, aures, à videndis audiendisque omnibus acerbis indignis que manent victos, vindicabit. Postea parati erunt qui magno rogo in propatulo ædium accenso corpora exanima iniiciant. Hæc vna via & honesta & libera ad mortem: & ipsi virtutem mirabuntur hostes, & Annibal fortes socios sciet à se desertos ac proditos esse.

## ORATIO M. MARCELLI AD P. C. SE

aduersus Syracusanos oratores defendentis.

## ARGUMENTVM.

Missi erant Romam à Syracusanis oratores, qui de iniuriis illatis à Marcello quum Syracusas cepit, conquererentur. Intromissi in senatum, inter alia etiam illud obiiciebant quòd Syracusas vi & armis, quam deditione capere maluisset: principes ea causa ad se missos sæpe auersatus, re infecta remisisset: captam urbem spoliasset: moenia domosque destruxisset: fana deum diripuisset: bona singulis ademisset. De his questi Marcello præsentem, quum iussi abirent, à Marcello reuocati sunt, quibus præsentibus, ita ut sequitur, se defendit,

**N**on adeo maiestatis populi Romani imperiique huius oblitus sum, P. C. ut si de meo crimine ambigeretur, consul dicturus causam accusantibus Græcis fuerim. Sed non quid ego fecerim, in disquisitionem venit, sed quid isti pati debuerint: qui si non fuerunt hostes, nihil interest, nunc, an viuo Hierone Syracusas violauerim: sin autem descuerunt, legatos nostro ferro atque armis petierunt, urbem ac moenia clauserunt, exercitumque Carthaginensium aduersus nos tutati sunt: quis passos esse hostilia, quum fecerint, indignatur? Tradentes urbem principes Syracusanorum auersatus sum? Sofin & Mericum

Hispanum, quibus tantam rem crederem, potiores habui? Non estis extremi Syracusanorum, quippe qui aliis humilitatem obiiciatis. Quis est vestrum qui se mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in urbem accepturum promiserit? Odistis & execramini eos qui fecerunt, & ne hic quidem contumeliis in eos dicendis parcitis: tantum abest ut & ipsi tale quicquam facturi fueritis. Ipsa humilitas eorum, P. C. quam isti obiiciunt, maximo argumento est, me neminem qui nauatam operam reipublicæ nostræ velit, auersatum esse: & antequam obsiderem Syracusas, nunc legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentavi pacem: & posteaquam neque legatos violandi verecundia erat, nec mihi ipsi congesto ad portas cum principibus responsum dabatur, multis terra marique exhaustis laboribus, tandem vi atque armis Syracusas cepi. Quæ captis acciderint, apud Annibalem & Carthaginenses victosque, iustius quàm apud victoris populi Romani senatum quererentur. Ego P. C. Syracusas spoliatas si negaturus essem, nunquam spoliis earum urbem Romam exornarem. Quæ autem singulis victor aut ademi, aut dedi, cum belli iure, tum ex cuiusque merito satis scio me fecisse. Ea vos rata habeatis, P. C. necne, magis reipub. interest quàm mea. Mea quippe fides exoluta est: ad remp. pertinet, ne acta mea rescindendo, alios in posterum segniores duces faciatis. Et quoniam coram, & Siculorum & mea verba audistis, P. C. simul tempore excedemus, ut me absente liberius consuli senatus possit.

### ORATIO P. SCIPIONIS AD veteres milites.

#### ARGUMENTVM.

P. Scipio is cuius pater atque patruus in Hispania interfecti fuerant, omnium centuriarum tribuumve consensu ante quartum & vicesimum annum ad bellum Hispanicum imperator electus erat. Iam verò ad id tempus, verus exercitus patris atque patruus in Hispania manserat, ad quæ Tarracone primo vere veniens, quum Iberum traiecturus esset, ita eius exercitus animos ad bellum præparauit,

**N**emo ante me nouus imperator militibus suis, priusquàm eorum opera usus esset, gratias agere iure ac merito potuit: me vobis, priusquam prouinciã aut castra viderem, obligauit fortuna: primum, quòd ea pietate erga patrem patruumque meum viuos mortuosque fuistis: deinde, quòd amissam tanta clade prouinciæ possessionem, integram & populo Rom. & successori mihi virtute vestra obtinuistis. Sed quum iam benignitate deum id paremus atque agamus, non ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Pœni maneant, nec ut pro ripa Iberi stantes arceamus transitum hostis, sed ut vltro transeamus, transferamurque bellum: vereor necui vestrum maius id audaciùsque consilium, quàm aut pro memoria cladum nuper acceptarum, aut pro ætate mea videatur. Aduersæ pugnae in Hispania, nullius in animo quàm meo minus obliterari possunt: quippe cui pater & patruus, intra triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumularetur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. Sed ut familiaris penè orbitas ac solitudo frangit animum, ita publica cum fortuna tum virtus desperare de summa rerum prohibet, eo fato, quo donata nobis fors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites: à Punicis bellis incipiã. Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? Iã quid hoc de bello memorem? omnibus aut ipse adfui cladibus, aut quibus abfui, maximè vnus omnium eas sensi. Trebia, Thrasymenus, Cannæ, quid aliud sunt quàm monumeta occisorum exercituum cõsulumque Romanorum? Adde defectionem Italiæ, Siciliae, maioris partis Sardinia: adde vltimum terrorem ac pauorem, castra Punica inter Anienem & moenia Romana posita, & visum propè in portis victorem Annibalem. In hac ruina rerum stetit vna integra atque immobilis virtus populi Romani, hæc omnia strata humi crexit ac sustulit. Vos omnium primi, milites, post Carthensensem cladem vadenti Asdrubali ad Alpes Italiãque (qui si se cum fratre coniunxisset, nullum iam nomen esset populi Romani) ductu auspicioque patris mei obstististis: & hæc secundæ res illas aduersas sustinuerunt. Nunc benignitate deum omnia secunda, prospera, in dies lætiora ac meliora in Italia Siciliaque geruntur. In Sicilia Syracusæ, Agrigentumque captum, pulsi tota insula hostes, receptaque prouincia in ditionem populi Rom. est. In Italia Arpi recepti, Capua capta, iter omne ab vrbe Roma trepida fuga emensus Annibal, in extremum angulum agri Brütii compulsus, nihil iam magis preca-



tur deos quàm vt incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat. Quid igitur minus conueniat, milites, quàm quum aliæ super alias clades cumulantur, ac dii propè ipsi cum Annibale starent, vos hic cum parentibus meis (æquentur enim ipsi etiam honore nominis) sustinuisse labantem fortunam populi Romani: nunc eosdem, quia illic omnia secunda lætæque sunt, animis deficere? Nuper quoque quæ acciderunt, vtinam tam sine meo luctu quàm vestro transissent. Nunc dii immortales imperii Rom. præfides, qui centuriis omnibus vt mihi imperiũ iuberent dari, fuere authores, iidem auguriis auspiciisque, & per nocturnos etiam visus omnia læta & prospera portendunt. Animus quoque meus, maximus mihi ad hoc tempus vates, præfagit nostram Hispaniam esse: breui extorre hinc omne Punicum nomen maria terrasque foeda fuga impleturum. Quod mens sua spõte diuinat, idem subiicit ratio haud fallax. Vexati ab iis socii, nostram fidẽ per legatos implorant: tres duces discrepantes, propè vt defecerint alii ab aliis, trifariam exercitus in diuersissimas regiones distrahere. Eadem in illos ingruit fortuna quæ nuper nos afflixit. nam & deferuntur à sociis, vt prius ab Celtiberis nos: & diduxerunt exercitus, quæ patri patruoque meo causa exitii fuit: nec discordia intestina coire eos in vnum sinet, neque singuli nobis resistere poterunt. Vos modò, milites, fauete nomini Scipionum, soboli imperatorum vestrorũ, velut accisis recrescenti stirpibus. Agite, veteres milites, nouum exercitum nouumque duccem traducite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis sæpe à vobis peragratas: breui faciam vt quemadmodum nunc noscitis in me patris patruique similitudinem oris vultusque, & lineamenta corporis: ita ingenii, fidei, virtutisque exemplum ac effigiem vobis reddam, vt reuixisse aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat.

## ORATIO P. SCIPIONIS AD MILITES.

## ARGUMENTVM.

Traiecto Ibero P. Scipio Carthaginem nouam oppugnare statuerat: iamque ab ea non ita longum iter aberat, quum insciis omnibus, præter vnum Lælium, quò proficisci pararet: concione aduocata, ad oppugnationem vrbs ita milites exhortatus est;

**A**D vrbs vnam oppugnandam si quis vos adductos credit, is magis operis vestri quàm emolumentum rationem exactam, milites, habet. Oppugnabit enim verè moenia vnus vrbs: sed in vna vrbe vniuersam ceperitis Hispaniam. Hic sunt obsides omnium nobilium regum populorumque: qui simul in potestate vestra erunt, extemplo omnia quæ nunc sub Carthaginensibus sunt, in ditionem nostram tradent. Hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellũ possunt, quippe qui mercenarios exercitus alant: & quæ nobis maximo vsui ad conciliandos animos barbarorum erit. Hic tormeta, arma, armamenta & omnis apparatus belli est, qui simul vos instruet, & hostes nudabit. Potiemur præterea cum pulcherrima opulentissimaque vrbe, tum opportunissima portu egregio, vnde terra marique quæ belli vsus poscunt, suppeditentur: quæ cum magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo maiora. Hæc illis arx, hæc horreum, ararium, armamentarium, hæc omnium rerum receptaculum est: huc rectus ex Africa cursus est: hæc vna inter Pyrenæum & Gades statio, hinc omnis Hispania imminet Africa. Sed quoniam vos instructos & ordinatos cognosco, ad Carthaginem nouam oppugnandam totis viribus & bono animo transeamus.

## ORATIO P. SCIPIONIS AD LVCEIVM CELTIBERORUM PRINCIPEM, QUUM EI SPONSAM REDDIDIT.

## ARGUMENTVM.

Hoc ad priorem orationem pertinet. Capta Carthagine noua, quum inter recedendos obsides nomina ciuitatum acciperet Scipio, missis nuntiis admonebat obsidum parentes, vt ad suos quisque recipiendos Carthaginem venirent. Adducta ad eum tum fuit adulta virgo eximia atque spectatæ formæ, ex qua percontatus ipse patriam & parentes, quum acciperet, eam de sponsatam Luceio adolescenti Celtiberorum principi, extemplo parentes sponsumque acciri iubet. Vbi primũ sponsus venit, hoc eum sermone allociuntur,

**I**uuenis iuuenem appello: quo minus sit inter nos huius sermonis verecundia. Ego, quum sponsa tua capta à militibus nostris ad me deducta esset, audirẽmque eam tibi cordi esse,

& forma faceret fidem: quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, præsertim illecto recto, legitimoque amore, & non resp. animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponfam impensius amanti vellem: tuo, cuius sponsa est, amori faueo. Fuit sponsa tua apud me, eadem qua apud foceros tuos parentisque suos, verecundia. seruata est tibi, vt inuiolatum & dignum me teque dari tibi donum posset. Hanc mercedem vnã pro eo munere pacifcor, amicus populo Rom. sis: & si me virum bonum credis esse, qualem patrem patruumque meum iam antè hæc gentes norant, scias multos nostri similes in ciuitate Romana esse, nec vllum in terris populum hodie dici posse quem minus tibi hostem tuisque esse velis, aut amicum malis.

Ex vigesimo septimo libro ab vrbe condita.

ORATIO M. MARCELLI AD SVOS.

ARGVMENTVM.

Canusinos Annibal ad defectionem sollicitans, quum Marcellum aduersus se contendere audiret, tum castra inde mouere cepit. Marcellus eum breui interuallo consequutus, tandem nihil magis quam iustum prælium derectantem, ad id quod vitabat certamen traxit. Vesperi congressos, a quo Marte nox diremit. Postero die vtrinque cõcursum est: fusi Romani primùm, deinde fugati, cæsis millibus duobus & septingentis. Ex ea pugna qui restiterant, in castra receptos, Marcellus ita obiurgauit,

**D**is immortalibus, vt in tali re, laudes gratæque ago, quòd victor hostis, cum tanto pudore incidentibus vobis in vallum portasque, non ipsa castra est aggressus. Deseruissetis profectò eodem terrore castra quo omisitistis pugnã. Qui pavor hic? qui terror? quæ repentè, qui, & cum quibus pugnaretis, obliuio animos cepit? Nèpe iidem sunt ii hostes quos vincendo & victos sequendo, priorè ætate absumpsistis: quibus dies noctesque fugientibus, per hos dies institistis: quos leuibus præliis fatigastis: quos hesternò die nec iter facere, nec castra ponere passi estis. Omitto ea quibus gloriari potestis: & cuius ipsius pudere ac pœnitere vos oportet, referam. Nempe æquis manibus hesternà die diremistis pugnam: quid hæc nox, quid hæc dies abstulit? vestræ his copiæ imminutæ sunt? an illorum auctæ? Non equidem mihi cum exercitu meo loqui videor, nec cum Romanis milibus: corpora tantum atque arma eadem sunt. An si eosdem animos habuissetis, terga vestra vidisset hostis? signa alicui manipulo aut cohorti abstulisset? Nò adhuc cæsis Romanis legionibus gloriabatur: vos illi hodierno die primùm fugati exercitus dedistis decus.

ORATIO ANNIBALIS AD SVOS.

ARGVMENTVM.

Hoc cum proximo coniunctum est. Milites quum iure se à Marcello obiurgatos intelligerent, clamore sublato precabantur atque orabant vt eius modò pugnae gratiam faceret: ita vbi vellet, militum suorum animos experturum. Tum Marcellus aciem eos se educiturum postero die dicit, vbi victores potius quam victi veniam impetrarent. Postero die, vt iussi erant, armati conueniunt. Quod vbi ad Annibalem allatum est, tum in hæc verba suos præparauit,

**C**um eo nimirum hoste res est qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest. Seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.

Ex vigesimo octauo libro ab vrbe condita.

ORATIO P. SCIPIONIS AD MILITES.

ARGVMENTVM.

Sucrone ad præsidium octo millia militum relicta erant: il nimia primùm licentia ex diutino otio collecta, deinde audita morte (incertis authoribus) Scipionis imperatoris, seditione mouent. Ac primùm tribunos quum viderent non modò in sententiam suam non descendere velle, sed iis quæ conabantur, obuiã ire: ex castris fugant. Tum ad principem seditionis gregarios milites C. Albius Calenum, & C. Attium Vmbrium, communi consensu imperii

summam deferunt: qui tribunitiis ornamentis non contenti, summi etiam magistratus insignia, ut fasces, ut secures, assumunt. Non ita multo post nuntii certi & viuere Scipionem, & valere afferunt: quæ res ita omnium animos discruciat ut iam imperatores ipsi sua insignia exhorrent: vulgus tantum iactaret id factum esse quod non ad diem ipsum stipendia data & impensa essent. Carthaginem deinde interiectis aliquot diebus seditiosi omnes ingressi, postero die vocati ad concionem à Scipione, hac concione reprehensi sunt, duces & authores capitali supplicio damnati.

**N**unquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer, credidi: non quod verba nunquam potius quam res exercuerim, sed quia propè à pueritia in castris habitus, assueueram militaribus ingeniis. Apud vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos ne quo nomine quidem appellare debeam, scio. Ciues? qui à patria vestra desciuistis? An milites? qui imperium auspiciumque abnuistis? sacramenti religionem rupistis? Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum ciuium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod Illergetes & Lacetani, aut optastis aliud aut sperastis? Et illi tamen Mandonium atque Indibilem regiae nobilitatis viros, duces furoris sequuti sunt: vos auspiciam & imperium ad Vmbrum Atrium & Albium Calenum detulistis. Negate vos id omnes fecisse, aut factum voluisse, milites: paucorum eum furorem atque amentiam esse. Libenter credam negantibus. nec enim ea sunt commissa quæ vulgata in omnem exercitum, sine piaculis ingentibus expiari possint. Inuitus ea tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta tractataque, sanari non possunt. Equidem pulsus Hispania Carthaginensibus, nullum locum in tota prouincia, nullos homines credebam esse, ubi vita inuisa esset mea: sic me non solum aduersus socios gesseram, sed etiam aduersus hostes. In castris meis (heu quantum me opinio sefellit) fama mortis meæ non accepta solum, sed etiam expectata est: non quod ego vulgari facinus per omnes velim: (equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hæc statim ante oculos vestros morerer, nec me vita iuuaret inuisa ciuibus & militibus meis) sed multitudo omnis, sicut natura maris, per se immobilis est: ut venti & auræ ciant, ita aut tranquillum aut procellæ in vobis sunt: & causa atque origo omnis furoris penes authores est: vos contagione insanistis. Quin mihi ne hodie quidem scire videmini quod amentiae progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriam, parentesque ac liberos vestros: quid in deos sacramenti testes, quid aduersus auspicia, sub quibus militastis, quid aduersus morem militiae, disciplinamque maiorum, quid aduersus summi imperii maiestatem ausi sitis. De me ipso taceo: temere potius quam auidè credideritis: is denique ego sim, cuius imperii tædere exercitum minimè mirandum sit. Patria quid de vobis meruerat: quam, cum Mandonio & Indibili confociando consilia, prodebatis? Quid populus Romanus: cuius imperium ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad homines priuatos detulistis: quum eo ipso non contenti si pro tribunis illos haberetis, fasces imperatoris vestri ad eos quibus seruus cui imperaret, nunquam fuerat, Romanus exercitus detulistis? In prætorio tetenderunt Albius & Atrius, classicum apud eos cecinit, signum ab iis petitum est: sederunt in tribunali proconsulis P. Scipionis: licitor apparuit, summouente eo incesserunt, fasces cum securibus prælati sunt. Lapides pluere, & fulmina iaci de cælo, & insuetos foetus animalia edere, vos portentata esse putatis: hoc est portentum quod nullis hostiis, nullis supplicationibus, sine sanguine eorum qui tantum facinus ausi sunt, expiari possit. Atque ego, quanquam nullum scelus rationem habet, tamen ut in re nefaria, quæ mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. Rhegium quondam in præsidium missa legio, interfectis per scelus principibus ciuitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit: propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romano securi percussi sunt. Sed illi tamen non Atrium Vmbrum, semilixam, nominis etiam abominandi ducem, sed Decium Iubellium tribunum militum sequuti sunt. nec cum Pyrrho, nec cum Samnitibus aut Lucanis hostibus populi Rom. se coniunxerant: vos cum Mandonio & Indibili consilia communicastis, & arma confociaturi fuistis. Illi, sicut Campani Capuam Tuscis veteribus cultoribus ademptam, Mamertini in Sicilia Messanam: sic tum Rhegium habituri perpetuam sedem erant, nec populum Rom. nec socios populi Rom. ultro laceffituri bell. Sucronemne vos domicilium habituri eratis: ubi si vos decedens cõfecta prouincia imperator relinquerem, deum hominumque fidem implorare debebatis quod non rediretis ad coniuges liberosque vestros. Sed horum quoque memoria, sicut pa-

triae meique, eieceratis ex animis vestris. Viam consilii scelerati, sed non ad vltimum demeritis, exequi volo. Méne viuo, & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die vno Carthaginem cepi, cum quo quatuor imperatores, quatuor exercitus Carthaginensium fudi, fugavi, Hispania expulsi: vos octo millia hominum, maioris certè omnes pretii quàm Albius & Atrius sunt, quibus vos subiecistis, Hispaniam prouinciam populo Rom. erepturi eratis? Amolior & amoueo nomē meum: nihil vltra facile creditam mortem meam à vobis violatus sim: quid? si ego morerer, mecum expiratura resp. mecum casurum imperium populi Rom. erat: Ne istud Iupiter optimus maximus fierit, urbem auspiciò diis authoribus in æternum conditam, huic fragili & mortali corpori æqualem esse. Flamínio, Paulo AEmilio, Graccho, Posthumio Albino, M. Marcello, T. Q. Crispino, C. Fulvio, Scipionibus meis tot tam præclaris imperatoribus vno bello absumptis superstes est populus Rom. eritque mille aliis nunc ferro, nunc morbo morientibus: meo vnus funere elata resp. esset? Vos ipsi híc in Hispania, patre & patruo meo, duobus imperatoribus interfectis, Septimium Martium ducem vobis aduersus exultantes recenti victoria Pœnos delegistis: & sic loquor tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint. M. Syllanus eodem iure, eodem imperio mecum in prouinciam missus, L. Scipio frater meus, & C. Lælius legati, vindices maiestatis imperii deessent? Vtrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa comparari poterat? Quibus si omnibus superiores essetis, arma contra patriam, contra ciues vestros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem vrbi Romæ imperare velletis? Quã ob noxam patriæ? Coriolanum quondam damnatio iniusta, miserum & indignum exilium, vt iret ad oppugnandam patriam impulit, reuocauit tamen à publico parricidio priuata pietas: vos qui dolor, quæ ira incitauit? stipendiúmne diebus paucis imperatore ægro ferius numeratum, satis digna causa fuit cur patriæ indiceretis bellum? cur ad Illergetes descisceretis à populo Rom. cur nihil diuinarum humanarúmve rerum inuiolatum vobis esset? Infanistis profectò, milites: nec maior in corpus meum vis morbi quàm in vestras mentes inuasit. Horret animus referre quid crediderint homines, quid sperauerint, quid optauerint: auferat omnia irrita obliuio, si potest: si non, vtcunque silentium tegat. Nò negauerim tristem atrocemque vobis visam orationem meam: quanto creditis facta vestra atrociora esse quàm dicta mea? & me, quæ fecistis, pati æquum censetis: vos ne dici quidè omnia æquo animo feretis? Sed ne ea quidem ipsa vltra exprobrabuntur: vtinam tam facile vos obliuiscamini eorum quàm ego obliuiscar. Itaque quod ad vos vniuersos attinet, si erroris pœnitet, satis superque pœnarum habeo. Albius Calenus, & Atrius Vmber, & cæteri nefarię seditionis authores, sanguine luent quod admiserunt. Vobis supplicii eorum spectaculum non modò non acerbum, sed lætum etiam, si sana mens rediit, debet esse. De nullis enim quàm de vobis infestius aut iniquius consuluerunt.

## ORATIO SAGVNTINORVM

ad P. C. in senatu.

## ARGVMENTVM.

Secundum bellum Punicum susceptum erat nomine Saguntinorum, quorum oppidum quum Annibal summa vi oppugnaret, missis Romam oratoribus auxilium focii aduersus Pœnos petiuerunt. Annibali verò, quum legationibus factis eo nomine multis, nihilominus in oppugnando perstaret, autoritate senatus bellum fuit inditum. Ita quicquid gestum, quantumcunque cladium & incommodorum acceptum erat, nomine ac causa ipsorum acceptum. Itaque ne ingrati merito ac iure videri dicique possent, in secundis rebus suis & Romanorum, legatos Romam mittunt, qui pro tot beneficiis gratias agerent, gratularenturque bellum illud feliciter tandem successisse. Ii in senatum introducti sic loquuti sunt,

**E**T si nihil vltra malorum est P. C. quàm quod passi sumus, vt ad vltimum fidem vobis præstaremus: tamen ea vestra merita imperatorumque vestrorum erga nos fuerunt, vt nos cladium nostrarum non pœniteat. Bellum propter nos suscepistis, susceptumque quartumdecimum annum tam pertinaciter geritis vt sæpe ad vltimum discrimen & ipsi veneritis, & populum Carthaginensem adduxeritis. Quum in Italia tam atrox bellum & Annibalem hostem haberetis, consules cum exercitu in Hispaniam velut ad colligendas reliquias naufragii nostri misistis. P. & Cn. Cornelii ex quo in prouinciam venerunt, nullo tempore destiterunt, quæ nobis secunda quæque aduersa hostibus nostris essent, facere.

Iam

Tam omnium primum oppidum nobis restituerunt: per omnem Hispaniam ciues nostros vendatos, dimissis qui conquirerent, ex seruitute in libertatem restituerunt. Quum iam propè esset vt optabilem ex miserima fortunam haberemus, P. & Cn. Cornelii imperatores vestri lucuosius nobis propè quàm vobis perierunt. Tum verò ad hoc retracti ex distantibus locis in sedem antiquam videbamur, vt iterum periremus, & alterum excidium patriæ videremus: nec ad perniciem nostram Carthaginensi vtique aut duce aut exercitu opus esse: ab Turdetanis veterrimis hostibus, qui prioris quoque excidii nobis causa fuerant, extingui posse: quum ex insperato repente nobis misisset hunc P. Scipionem, què, fortunatissimi omnium Saguntinorum videmur, quia consulem declaratum vidimus, ac vidisse nos ciuibus nostris renuntiaturi sumus, spem, opem, salutemque nostram: qui quum plurimas hostium vestrorum in Hispania cepisset vrbes, vbique ex captorum numero excerptos Saguntinos in patriam remisit. Postremo Turdetaniam adeo infestam nobis vt illa gente incolumi stare Saguntum non posset, ita bello afflixit vt non modò nobis (absit verbo inuidia) sed ne posteris quidem timenda nostris esset. Deletam vrbem cernimus eorum quorum in gratiam Saguntum deleuerat Annibal. Vectigal ex agro eorum capimus: quod nobis non tam fructu iucundius est quàm vltione. Ob hæc, quibus maiora nec sperare nec optare ab diis immortalibus poteramus, gratias actum nos decem legatos Saguntinus Senatus populûsque ad vos misit: simul gratulatum quòd ita res per hos annos in Hispania, atque in Italia gessistis, vt Hispaniam non Ibero amne tenus, sed quàm terrarum vltimus finis Oceanus, domitam armis habeatis: Italia, nisi quatenus vallum castrorum cingit, nihil reliqueritis Pæno. Ioui optimo maximo præfidi Capitolinæ arcis non grates tantum ob hæc agere iussi sumus, sed donum hoc etiam, si vos permitteretis, coronam auream in Capitolium victoriæ ergo ferre. Id vti permittatis quæsumus, vtique, si vobis ita videtur, quæ nobis imperatores vestri commoda tribuerunt, ea rata atque perpetua auctoritate vestra faciatis.

ORATIO Q. FABII MAXIMI, QUÆ SCI  
pioni Africam prouinciam decerni dissuadet.

ARGUMENTVM.

Quum in senatu de prouinciis referretur, communis omnium fama erat Africam nouam prouinciam etiam extra sortem P. Scipioni destinatam esse. Ac Scipio ipse iam consulem se declaratum non ad gerendum modò sed ad perficiendum quoque bellum iactabat, quum Q. Fabius Maximus rogatus sententiam, in hæc verba Scipioni decernendam non esse Africam suadere cœpit,

Scio multis vestrum videri, P. C. rem actam hodierna die agi, & frustra habiturum orationem, qui tanquam de integra re, de Africa prouincia sententiam dixerit. Ego autem primum illud ignoro, quemadmodum certa iam prouincia Africa consulis viri fortis ac strenui sit, quam nec senatus censuit in hunc annum prouinciam esse, nec populus iussit: deinde, si est, consulem peccare arbitror, qui de re transacta simulando se referre, senatum ludibrio habet, non senatorem modò, qui de quo consulitur, suo loco dicit sententiam. Atque ego certum habeo, dissentienti mihi ab ista festinatione in Africam trahendi, duarum rerum subeundam opinionem esse: vnus, insitæ ingenio meo cunctationis, quam metum pigritiamque homines adolentes sanè appellant, dum me non poeniteat: (adhuc aliorum speciosiora primo aspectu consilia semper visa, mea vsu meliora) alterius, obreætationis atque inuidiæ aduersum crescentem in dies gloriam fortissimi consulis. A qua suspitione si me neque vita acta, & mores mei, neque dictatura cum quinque consulatibus, tantumque gloriæ belli domique partæ vindicat, vt propius fastidium eius sim quàm desiderium: ætas saltem liberet. Quæ enim mihi æmulatio cum eo esse potest qui ne filio quidem meo æqualis sit? Me dictatorem, quum vigerem adhuc viribus, & in cursu maximarum rerum essem, recusantem nemo aut in senatu aut apud populum audiuit quo minus insectati me magistro equitum (quod fando nunquam antè auditum erat) imperium mecum æquaretur: relinquitur quàm verbis assequi malui, vt qui aliorum iudicio mihi cõparatus erat, sua mox cõfessione me sibi præferret: nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi atque

æmulationes cum adolescente florentissimo proponam: videlicet ut mihi iam viuendo, non solum rebus gerendis fesso, si huic negata fuerit, Africa prouincia decernatur: cum ea gloria quæ parta est, viuendum atque moriendum est. Vincere ego prohibui Annibalem, ut à vobis, quorum vigent nunc vires, etiam vinci posset. Illud te mihi ignoscere, P. Corneli, æquum erit, si, quum in meipso nunquam pluris famam hominum quam remp. fecerim, ne tuam quidem gloriam bono publico præponam: quanquam si aut bellum nullum in Italia, aut is hostis esset ex quo victo nihil gloriæ quæreretur: qui te in Italia retineret, etsi id bono publico faceret, simul cum bello materiam gloriæ tuæ ire creptum videri posset. Quum verò Annibal hostis incolumi exercitu quartumdecimum annum Italiam obsideat, pœnitebit te P. Corneli gloriæ tuæ, si hostem eum qui tot funerum, tot cladum nobis causa fuit, tu consul Italia expuleris? & sicut penes C. Lucatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te huius fuerit? Nisi aut Amilcar Annibali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut victoria illa maior clariorque quam hæc (modo contingat ut te consule vincamus) futura est. Ab Drepano atque Erycæ detraxisse Amilcarem, quam Italia expulisse Pœnos atque Annibalem malis? Ne tu quidem (etsi magis partam quam speratam gloriam amplecteris) Hispania potius quam Italia bello liberata gloriatus fueris. Nondum is est Annibal quem non magis timuisse videatur quam contempnisse, qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris? nec per istos circuitus, ut quum in Africam traieceris, sequuturum te illuc Annibalem speres, potius quam recto hinc itinere, vbi Annibal est, eò bellum intendis? Egregiam istam palmam belli Punici patrati petis? Hoc & natura prius est, tua quum defenderis, aliena ire oppugnatum. Pax antè in Italia quam bellum in Africa sit: & nobis prius decedat timor quam vtrò aliis inferatur. Si vtrūque tuo ductu auspicioque fieri potest, Annibale hinc victo, illic Carthaginem expugnata, si alterutra victoria nouis consulibus relinquenda est, prior cum maior clariorque, tum causa etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem præterquam quòd & in Italia & in Africa duos diuersos exercitus alere ararium non potest, præterquam quòd vnde classes tueamur, vnde comitatibus præbendis sufficiamus, nihil reliquum est: periculi tandem quantum adest, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellum in Africa geret. Quid si (quod omnes dii omen auertant, & dicere etiam reformidat animus: sed quæ acciderunt, accidere possunt) victor Annibal ire ad urbem pergat: tū demum te cōsulē ex Africa, sicut Q. Fuluiū à Capua, accersemus? Quid quòd in Africa quoque mars cōmunis belli erit? Domus tibi tua, pater patruūque intra triginta dies cū exercitibus cæsi, documento sint, vbi per aliquot annos maximis rebus terra marique gerendis amplissimum nomen apud exteras gentes populi Rom. vestræque familiæ fecerant. Dies me deficiat si reges imperatoresque temere in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercituumque suorum, enumerare velim. Athenienses, prudentissima ciuitas, bello domi relicto, authore æquè impigro atque nobili iuvene, magna classe in Siciliam transmissa, vna nauali pugna florētem remp. suam in perpetuum affligerunt. Externa & nimis antiqua repeto: Africa eadem ista, & M. Attilius, insigne vtriusque fortunæ exemplum, nobis documento sint. Næ tibi, P. Corneli, quū ex alto Africam conspexeris, ludus & iocus fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur. Quid enim simile? Pacato mari præter oram Italiæ Galliæque vectus, Emporias in urbē sociorum classem appulisti, & expositos milites per tutissima omnia ad socios & amicos populi Rom. Tarraconem duxisti. Ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana circa Iberum exercitus patris patruique tui, post amissos imperatores, ferociores ipsa calamitate facti: & dux tumultuarius quidem ille L. Martius, & militari suffragio ad tempus lectus, cæterum, si nobilitas ac iusti honores adornarent, claris imperatoribus qualibet arte belli par: oppugnata per summum otium Carthago, nullo trium Punicorum exercituum socios defendente. Cætera (neque ea eleuo) nullo tamen modo Africo bello comparanda, vbi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non ciuitas socia, non rex amicus, non consistendi vsquam locus, non procedendi: quacunque circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An Syphaci Numidisque credis? Satis sit semel creditum. Non semper temeritas est felix: & fraus fidem in paruis sibi præstruit, ut quum operæpretium sit, cum mercede magna fallat. Nō hostes patrem patruūque tuum artibus prius quam Celtiberi focii fraude circumuenerunt: nec tantum tibi ipsi à Magone & Asdrubale hostium ducebus, quantum ab Indibili & Mādonio in fidem acceptis periculi fuit. Numidis tu credere